23

ANATOMIA CAMPHORÆ,

Ejus originem, qualitates, præparationes Chimicas, ac vires, quas in omnibus ferè totius humani corporis morbis instar panacéæ cujusdam præstat; nec non in aliis rebus usum succinctè exhibens

GOTHOFREDI MOEBII,
MED. D. P. P. MEDICI ELECT.
BRANDENBURG. NEC NON ADMIN. ARCHI-EPICOP. MAGDEBURG.



JENÆ,
Impensis JOH. LUDOVICI NEUENHAHNII,

Charactere Sengenvvaldiano,
ANNO M DC LX.

SERENISSIMÆ AC CELSISSIMÆ
PRINCIPI AC DOMINÆ,
DOMINÆ

ANNÆ MARIÆ,

DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, AC MONTIUM, NATÆ DUCISSÆ E DUCALI MECLENBURGENSI PROSAPIA, LANDGRAFIÆ THURINGIÆ, MARCHIONISSÆ MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, COMITISSÆ DE MARCA, RAVENSBURGO ET BARBY, DOMINÆ RAVENSTEINII, &c. DOMINÆ MEÆ CLEMENTISSIMÆ,

Salutem, & felicitatem

perpetuam!

SI quoddam ſtudium, Sereniſsima Princeps, cum jucunditate quadam conjunctum eſt, certè Medicinæ eſt.

Jucundiſsimum ſanè opus eſt, & admiratione plenum, quòd chimiæ opera mineralia arſenicalibus particulis, ac vaporibus ſcatentia ita præparari queant, ut non ſolummodò remedia ſint tutiſsima, verùm etiam præ cæteris efficacia, & in multis graviſsimis morbis ſaluberrima.

Mercurius, licet, teſte *Galeno* l. 3. *ſimplic medicam. facult. cap. 17.* totâ ſubſtantiâ humanæ naturæ inimicus videatur; & ſit, *Plinio* authore [illegible] 6. venenum rerum omnium; tamen ritè paratus, ut vim Bezo[illegible]rticam induat [illegible]erum eſt naturæ humanæ balſamum [illegible] plurimorumq; morborum [illegible] panacéa. Teſta[illegible] [illegible] de febr. c. 14. [illegible]itatu[illegible] diapr[illegible]

cus Paracelsi, ait, omnem sanat febrim unicâ potione, hecticam autem intra lunæ cursum. Oretenus etiam assumptus curat carcinoma, lupum, & quodlibet esthiemenum cacoëthes ulcus sive externum, sive internum, itemque hydropem, asthma, & morbum quemcunque chronicum: complet enim solus medentium desideria. Spuma duorum draconum, butyrum nimirum antimonii licet præsens sit venenum, arte tamen ita cicuratur, ut Bezoartica exinde prodeant generosissima.

Nec minus animus sciendi cupidus delectatur mirabili brutorum varietate, non solùm in victum hominibus à su- mo conditore concessorum, sed & -tantissima remedia exhibentium. -brutorum, ungulæ, viscera, san- -s recrementa quan- -farraginem sup-

 pedi-

peditent, pleni authorum gravissimorum sunt libri, plenæ compositionum & præparationum singularium officinæ. Quin venenatorum etiam animalium, ut serpentum, viperarum, ac similium, à quibus humana natura alias abhorret, carnes alexipharmacâ virtute imbutas esse, & ad longævitatem facere, testatum fecere veteres.

Incredibili suavitate plantæ aliaque vegetabilia animos nostros perfundunt. Sive enim mirabilem earum varietatem contemplemur, sive florum diversicolorum amœnitatem consideremus, sive nobilissimas in medicinâ vires ad animum revocemus, nil nisi summam jucunditatem singularemq; animorum delectationem deprehendimus.

Singulæ plantæ singulas obtinen tutes. Ita cichorium hepati, ceterach lieni, rosa cordi, glycyrrhiza pulm

monibus, pæonia cerebro, euphrasia oculis, mentha ventriculo, artemisia utero, aliæque aliis partibus opitulantur. Imò hoc consideratione dignum, quòd interdum Natura in uno vegetabili infinitas vires absconderit.

E multis jam solummodò Camphoram in medium producere, ejusque anatomen instituere placuit, quùm ejus natura mirabilis, & vires in omnibus ferè totius humani corporis morbis instar panacéæ cujusdam stupendæ.

Hanc autem Anatomen imprimis Serenissimæ Cels. Vestræ humillimè offero, ac dedico, quùm sciam, Serenissimam Celsitudinem Vestram non modò ejusmodi rebus Medicis valdè delectari, verùm etiam non minimam suavissimæ recreationis partem in rariorum medicamentorum Chimico-

rum

rum præparatione quærere, beneficiumq; accepisse existimare, si occasio ea distribuendi, ægrotantibusq; opem ferendi sese offerat. Hanc Anatomen per se minùs splendidam splendidissimâ illustrissimi nominis sui luce illustrare non dedignetur, eamq; fronte serenâ, atque animo clementissimo suscipiat, quâ possum animi submissione oro, Deumq; Opt. Max. veneror, ut Sereniss. Cels. Vestram unà cum Sereniss. Conjuge, & Sobole Ducali dilectissimâ porrò salvos, & incolumes conservet, diutissimeque felices florentesque præstet, ac tueatur. Dabam Jenæ die, qui erat Johanni Baptistæ sacer, A. O. S. M. DC. LX.

Serenissimæ Celsitud. Vestræ

subjectissimus

GOTHOFREDUS MOEBIUS, D. MED.
in Academiâ Salanâ P. P. Elect. Brand. ut & Celsitud. Vestræ ejusdemque Sereniss. Conjugis Medicus.

D. O. M. A.

Præloquium.

QVod *Archi-Philoſophus* dicere ſolitus eſt; ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἔνεστί τι θαυμαστόν, in omnibus rebus naturalibus eſt aliquid mirabile, iſtud maximè verum eſſe videtur de Camphorâ. Eſt enim ea inſtar gummi, ſeu reſinæ, ſeu, ut alii malunt, inſtar gummi-reſinæ, ſed quod præ cæteris omnibus mirabile quid habet: flammam enim inſtar reſinæ concipit tantam, ut etiam in aquam projecta flagrare pergat. Aëri ſi exponatur, tota conſumitur, & inſtar ſalis cujusdam volatilis ex oculis in auras evaneſcit. Unde & ob ſummam ſuam ſubtilitatem admirandas in corpore humano vires exercet.

Qvùm verò quid ſit Camphora, unde proveniat, quæque ejus ſint qualitates, ac vires, variè ab authoribus diſceptetur, paulò fuſiùs de eâ verba faciamus. Dignum enim eſt magni momenti medicamentum, ut altiùs rimetur.

CAPUT PRIMUM
ETYMOLOGIAM CAMPHORÆ EXPLICAT.



Portet prius vocis ipſius uſum cognoſcere, quò ſæpenumero provehimur in rei perceptionem, ait ſubtilitatum magiſter, *Scaliger, Exercit. 1.* Unde igitur vox camphoræ ortum ducat, meritò inquirendum.

CAMPHORA *Græcis* vocatur Κάφȣρα, *Arabibus*, CAPUR, ſive CAFUR, quia apud eos, ut habet *Garcias ab Horto, ProRegis Indiæ Orientalis Medicus in hiſtoria aromatum, & ſimplicium quorundam medicamentorum apud Indos naſcentium cap. 9. f. & p.* magnam inter ſe habent affinitatem.

Avicenna quoque CANFORAM appellare ſolitus eſt.

CAPUR CAPURA autem, ſeu CAFUR CAFURA vocatur ab arbore CAPUR. è quâ ceu reſina ſive lacryma, ſeu gummi exſtillat. A Latinis deinde, & Græcis m. & S. ut in multis aliis, ita & hîc ad ſonum meliorem adjecta ſunt? Profitentur enim non ſolùm Græci, ac Latini, ſed Chaldæi quoque, ac Syri, quasdam ſibi literas eſſe, quas vocant ſervas, notante *Scaligero Exercit. 104.* qui tamen patria rerum Indicarum nomina non temerè mutanda eſſe autumat.

Quòd ſi à quibusdam illi alia induntur nomina; id aut exemplarium depravatorum vitio accidiſſe, aut ipſos authores deceptos eſſe, *Garcias* perſvaſum habet.

Malè *Fuchſius l. 1. de compoſ. medic.* Camphoram vocabulum Indicum eſſe, & tamen à verbo Caphar, dici putat, quòd

quòd ob lentorem, quo polleat, ac tenacitatem in compingendis, glutinandis, & oblinendis navium tabulis, aut tignis lateribusque ædificiorum magnus ejus olim usus fuerit.

CAPUT SECUNDUM
QUID SIT CAMPHORA, ET QUI EJUS LOCUS NATALIS INDICAT.

QUid sit Camphora veteres non annotârunt. Unde credibile est, eam tum temporis fuisse ignotam. *Matthiolus in Dioscoridem* c. 75. suo testimonio hanc rem corroborat: Veteres enim, *Galenum*, *Dioscoridem*, & cæteros istius seculi scriptores non solùm nihil de camphorâ annotâsse, sed ne novisse he quidem, affirmat. Imò apud *Hippocratem* quoque planè nullam ejus fieri mentionem videmus.

Notavit idem *Garcias*: non dubium est, ait, quin multum *Acabibus* quibusdam in medicamentis debeamus: etenim aliquando eorum meminerunt, quæ veteribus Græcis neglecta, aut ignota fuere. Quòd si interdum plenam descriptionem non reliquerunt, ideò accidit, quòd illis hæ regiones ignotæ essent. Nam & ego, qui multo jam tempore in hac regione habitavi, summâ cum difficultate veram ac genuinam Aromatum notitiam consequi potui: partim quòd nostri Lusitani, tametsi magnam orbis partem navigant. solùm solliciti sint, quas merces, quibus ex regionibus majori eum questu sint evecturi, quásve invecturi; ut verò sciant, quæ in singulis, quas adeunt, regionibus, quâq; formâ arbores nascantur, & num fructiferæ sint, nec ne, possintq; cum nostratium quibusdam comparari, minimè sint curiosi: tùm etiam quòd propter ingrave-

gravescentem ætatem singulas regiones mihi adire non liceat, nec etiam, si velim, concedatur ab harum Provinciarum Præfectis, & Gubernatoribus, qui meâ propter senectutem, & rerum experientiam, uti malunt quam aliorum medicorum operâ, tametsi eruditi viri non desint. Paulò pòst idem addit: Caphura est nobile medicamentum, cujus nec *Galenus*, nec quisquam veterum Græcorum meminit, præter *Aëtium* è recentioribus; & licet *Serapionis*; vulgata exemplaria *Dioscoridis* authoritatem citent, falsò tamen id illi accessit.

Nota quùm fieri cœpisset camphora, incertum tamen fuit Europæis, unde ejus erigo. Non pauci fuêre, qui eam mineralibus annumerare, ac è bituminum genere esse arbitrati sunt.

Averrhoen hujus sententiæ fuisse videmus: *Caphuræ genus*, ait, *in maris alveo invenitur, quod deinde aquis innatat, & ambarum vocatur*. Si itaque ambarum est bitumen, & Caphuræ species, ipsam quoque Camphoram bitumen esse sequitur.

Georgius Agricola, qui in rerum mineralium scientiâ, & explicatione nulli secundus, hanc opinionem confirmat: Camphora nostra, ait, fit ex bitumine Indico, quod ex nativâ Camphorâ efflorescit coquendo in vasis super prunis. Tenuissimæ partes in candidum colorem versæ in operculum feruntur.

Cardanus ideò bituminis speciem Caphuram esse judicat, quùm succinum [tanquam bituminis quoque species] si ardeat, & aquâ madidâ mappâ fumus excipiatur, caphuram oleat. Verùm extra omne dubium *Cardano* non satisfuere emunctæ nares, quòd succini vaporem pro caphuræ judicârint. *Gesnerus*, ac *Libavius* istum vaporem tentârunt isto effato adducti; sed talem non deprehen-

prehenderunt, nec puto præterea neminem *Cardani* naribus fidem habiturum; quem alibi videmus esse dubium, an camphora sit fossilis, an verò lacryma, unde tandem addit, medico non esse laborandum, quid sit? Verùm istud ipsi vitio vertit *Scaliger exercit.* 194 dicitque; jam ignaviæ numen pro Elysiis campis ostendis medico, cujus in sinu beatus conquiescas.

Casalpinus Camphoram ideò ex bituminis genere credidit, quid rapacissimè ignem excipiat, & in aquis etiam ardeat. Sed hîc respondet *Scaliger*: Camphoram falsò bitumen arbitrati sunt, idque misero admodum argumento, quòd nimium ardeat, nam & resina & oleum, & thus, idem quoque patiuntur.

Leonhardus Fuchsius l. 1. *de composit. medicam.* imprimis acriter hanc defendit sententiam: ut succinum, ait, est liquidi bituminis genus, ita etiam id medicamentum, quod recentiores Græci Caphuram, Mauri Indico, ut videtur, vocabulo, Camphoram appellant: quod multis argumentis alibi demonstravimus. Post *Dioscoridis*, *Galeni*, & *Pauli* seculum, addit, in usum Medicum venit, & gemina existit. Una Nativa, vel ut aliis vocatur, rudis, quia scilicet nullam vim ignis experta est. Talis in maris fontibus oritur, & aquæ marinæ supernatat. Hæc, ut *Serapio* author est, copiosa gignitur, quùm terra crebris motibus conquassata, magnam tam sulphuris, quam bituminis vim profundit. Hæc non colore, sed partium duntaxat tenuitate à candidâ Babyloniorum Naphta differt. Odor autem, & color candidi bituminis esse sobolem testantur. Non est autem gummi, quod hinc abundè liquet, quia nullum gummi ardet, nec oleo dissolvitur, sed aquâ. Atqui Caphura nequit dissolvi, nisi quid oleosum adjeceris. Hinc experientia edocti seplasiarii ubi contundenda

venit in pilis, aliquid è nucis, aut amygdali nucleo, aut quid simile adjiciunt. Quòd autem bitumen sit, *Averrhoes* satis testatur, qui hanc ambræ congenerem facit. Item quòd ardet in aquis, quod bitumini peculiare est. Amicissima præterea est ignibus, quem semel conceptum difficile dimittit. Neque diffident ipsius facultates ab iis, quas bitumini inesse videmus. Cui rei quoque mercatores fidem faciunt, qui constanter affirmant, se vidisse Indiæ locum Caphuram exsudantem. Hac officinæ carent. Factitia altera est, quæ ignis ardorem sensit, à quo album, quem semper obtinet, colorem contraxit, & in laminas pellucentes digesta est. Hinc est; quòd *Simoni Sethi* ἐργαζομένη, i. e. ignis calore elaborata, *Serapioni* autem sublimata dicatur. Hæc certè est, quæ in pastillis magnis ad nos affertur, & in officinis passim sub nomine Camphoræ venalis habetur. Hactenus *Fuchsius*.

Baccius huc quoque nonnihil inclinare videtur: In agro Mutinensi, ac Parmensi, ait, pingue est bitumen, quod caphuræ odorem aliquando maximè in aquis æmulari constat. Itaque & *Savanorola* aquas salsas ad aquarium oppidum Italiæ caphuram olere scripsit, ubi natura terræ similis est.

Jonstonius in Taumatographiâ existimat incertum esse, quid camphora sit arboris lacryma, ut Mauri scribunt; certius autem esse, eam ex bituminis quodam genere fieri hoc quidem modo: Indicum bitumen, quod ex nativâ efflorescit camphorâ, subjectis carbonibus in vase coquitur, partes tenuissimæ in candidum colorem versæ in operculum feruntur, quod ipsis collectis eam, quam videmus, dat figuram.

Alii ex virtutum analogiâ, quam Camphora cum succino habet, bituminis naturam colligi posse existimant.

Ut

Ut enim dentium dolorem caphuræ oleum mitigat, ita & oleum succini. Ita etiam in epilepsiâ, uteri suffocatione, peste, & multis aliis morbis pares exhibent vires. In hanc sententiam etiam *Bauhinus* scripsit de fonte *Bollensi*, asphalto, succino, & ambræ Araticæ bitumini cognatam videri camphoram.

Tandem & hoc urgent: In Indicâ caphurâ reperiuntur aremulæ, & quædam substantiæ succino similes ergò minerale erit, non vegetabile. Verùm ad hoc respondetur à *Garcia*, quòd facile maleficium detegatur.

Platearius eam herba cujusdam succum pronunciavit.

Rectiùs autem alii ortum Camphoræ arbori adscribunt, in Indiâ orientali copiosè crescenti, cujus ligni particulam Amstelodamo allatam, non ita pridem videre contigit. Arbor autem ista non est ferulacea, ut scribit *Jacobus Sylvius in meth. medic. comp.* sed arbor satis magna, ac provera.

Avicenna hoc confirmat: *Quidam autem dixerunt*, verba ejus sunt, *quòd sit arbor magna faciens umbram hominibus, cui leopardi adhærent: non autem perveniunt ad eam, nisi in tempore noto, anni, & est spongiosa marina, hoc est, secundum quod existimaverunt quidam. Lignum verò ejus jam multoties vidimus, & est album, frangile, leve, in cujus ramis quandoque continetur aliquid de vestigiis canforæ.*

Garcias ab Horto ait: A viris fide dignis mihi relatum est, arborem esse nuci juglandi similem, foliis tamen candicantibus saliginis similibus, fructum, aut florē haudquaquam se vidisse, fieri tamen posse, ut utrumque ferat. Illud autem certè scio, materiam esse cinerri coloris, faginæ ferè similem, interdum nigriorem, nec eam quidem levem, aut fungosam, ut retulit *Avicenna* l. 2. c. 134. [nisi

sorte

ſorte ætate jam caducam, & emortuam viderit] ſed mediocriter ſolidam. Addunt plerique vaſtam, ac præaltam eſſe arborem latisſimè ſeſe fundentem, & aſpectu perpulchram. Fabuloſum eſt, quòd ad ejus umbram omne animantium genus confugere ajunt, ut ferociora animalia devitent.

Arbor iſta, ut innuit *Scaliger*, vocatur *Capur*, & inde reſina exſtillans *Capura* ſeu Latinis Camphora nomen habet. Ex Indicarum rerum Commentariis, addit, hæc arbor maxima: rami adeò patuli ut umbram quam latisſimè jaciant. Ligni materia levisſima, & rarisſima. Addit Alboali etiam candorem.

Aëtius, & *Actuarius* dicunt, arborem iſtam in Indiâ tantæ magnitudinis eſſe, ut hominum centuriæ ſub eâ quieſcere poſſint.

Bertius in tabulis Geographicis in deſcriptione Inſulæ Borneo idem atteſtatur: *Camphora*, ait, ab arbore *Caphur* nomen habet, cujus illa eſt gummi, Arbor maxima eſt, rami adeò patuli, ut umbram latisſimè jaciant, ligni materia levisſima & rarisſima. Confirmant hanc rem alii Neotericorum, ut *Acoſtæus Ruellius*, *Hugo Linſchottus* &c.

Martinus Martinius Jeſuita in Sinicâ hiſtoriâ lib. 8. pag. 310. lignum Camphoræ odoratum, & ad palatia exſtruenda aptum eſſe confirmat. Sextus Sinæ Imperator HIAOUUS immortalitatis, [quam Chymici impoſtores quidam promiſerant] adipiſcendæ cauſſa, inter cætera, ait, curavit exſtrui palatium ex meris lignis odoriferis, ut cedro, cupreſſo, camphorâ, & id genus aliis, cujus odor ad viginti ſtadiorum diſtantiam profuſus facilè percipiebatur, ut hiſtorici ſcribunt.

Creſcit hæc arbor copiosè in *Burneo*, *Bairos*, *Samatra*, & *Pacen*. Nomina autem locorum, in quibus *Se-*

rapio,

rapio, & *Avicenna* naſci tradunt, magnâ ex parte ſunt corrupta. Nam quam *Serapio* l. *ſimpl.* c. 344. de *Panſor* vocat, eſt de *Pacen* in *Samatrâ* Inſulâ. Quam *Avicenna* l. 2. c. 134. *Alcuz* appellat, de *Sundâ* eſſe poteſt, quæ Inſula eſt *Malaccæ* vicina. Quam verò *Serapio* ex regione *Calcâ* advehi tradit, corruptum eſt vocabulum, debebatq́; è *Malacâ* dicere, quandoquidem in *Bairos* loco *Malaccæ* vicino naſcitur, ut habet *Garcias* loco citato. Quod in *Java majore* moderno tempore quoque inveniatur hæc arbor, teſtis eſt *Maudesloh* in Itinerario regionem Orientalium per Clariſſimum Olearium conſcripto.

Andreas Bellunenſis in ſuo Dictionario ſecundum *Arabes* memoriæ prodidit, quòd ex hac arbore aqua caphurata ſtillet, quæ cum arbore ſit calida in tertio gradu. Verùm hanc aquam in dubium vocat *Garcias*, qvùm de eâ cùm apud medicos, tùm apud mercatores plurimos diligenter ſciſcitatus fuerit, nihil certi autem comperiri potuerit.

Quomodo autem Camphora ex hac arbore prodeat, non omnes unum idemq́; ſentiunt. Quidam, ut *Avicenna*, putant, eam ceu medullam, in arbore colligi, & deinceps extrahi. Expreſſis autem hoc *Garcias ab Horto* negat: Eſt autem ait, caphura gummi [non medulla, aut cor, ut *Avicenna*, aut alii, putarunt] quod in meditullium ligni cadens deinde extrahitur, aut per rimas exſudat. Id vidi in menſâ ex caphuræ arbore conſtructâ apud Pharmacopolam quendam, deinde in ligno quodam femoris craſſitie donato Gubernatori Domino Johanni de Caſtro, deinde in tabellâ palmum latâ apud quendam Mercatorem. Non tamen negaverim, quin interdum in arboris concavum decidat. Principio verò exſudat admodum candida ſine ullis rubentibus, aut nigricantibus maculis; non autem organis elicitur, ut quidam ſcripſerunt, neque ad cando-

rem conciliandum decoquitur, ut falsò *Avicennæ* l. 2. cap. 134. & *Serapioni* l. *Simplis*. c. 344. persuasum est.

Scaliger ex aliorum mente quoque affirmat. Camphoram vel ex suâ matrice, arbore nimirum, extrahi, vel à naturâ ipsâ expelli. Nam quædam, addit, è venis eximitur, in quibus hæret quasi crusta quædam. Aliquando rupto exit cortice, & concrescit resinarum modo, primum colorata, quæ deinde Sole, aut arte fit candida.

Camphora genuinus hujus arboris fœtus est, non autem ex fulguris materiâ accensâ arboribus in Indiâ adhæret, quemadmodum apud nos fraxinis & ornis ex rore cœlesti manna interdum agglutinatur, ut frustra ex *Serapione* conjicit *Cæsalpinus*.

Falsum etiam est, & erroneum, quod bitumen ab istis arboribus terrâ extrahatur, & iterum deinde reddatur, ut *Cardanus* & *Cæsalpinus* objiciunt. Videntur quidem inniti authoritate *Plinii*, qui ex betulâ bitumen in *Galliis* excoqui scribit, quod tamen l. 3. c. 15. fossile agnoscit, ubi limum, alibi, terram vocat. Terra quidem scatet ubivis principio sulphureo & salino. Quævis autem planta attractam materiam sulphuream, oleaginosam, & salinam specificâ virtute mutat in aliud sulphur, ac sal. Sic abies, Juniperus, & plantæ quamplurimæ in eodem loco ex eadem terra prodeunt, & nutrimentum suum habent; plantæ tamen nullam resinam, ut abies, vel Juniperus, sed materiam saltem oleaginosam insensibiliter immixtam gerunt.

Camphoram in India colligentem alias fortior superveniens impunè occidit, & quicquid collectum est, aufert, quasi fortuna istud elargitum fuerit, ait *Garcias*.

CAPUT

CAPUT TERTIUM
DIFFERENTIAM CAMPHORÆ OSTENDIT.

Camphora differt ratione locorum, in quibus crescit, & ratione depurationis.

Camphora, duorum est generum, videlicet de *Burneo*, & quæ ex *Chinâ* advehitur. *Caphura* de *Burneo*, ait *Garcias*, nunquam ad nostras usque regiones penetravit, saltem quàm isthic essem, videre non contigit: nec id mirum, quandoquidem hujus libra tanti emitur, quanti centenæ libræ ejus, quæ ex Chinâ affertur, quæ secundum genus est, eaq; in Europam defertur in partes orbiculares coacta quinque digitorum diametri. Et quoniam ita coacta est, compôsitum medicamentum videtur, non simplex. Quâ ratione autem compositum sit, in sequentibus paginis addit, Affirmârunt præterea mihi, panes illos orbiculares, qui ex Chinâ advehuntur, compositos esse, quoniam *Caphura de Burneo* in Chinceum deferatur, ideò ejus incolis expetita, ut eam alteri viliori permisceant. Cui opinioni suffragantur *Baneanes de Cambayâ*, qui pro arcano dicunt, deficiente *Caphurâ de Burneo* solere se ejus exiguam quantitatem cum multâ *Chinensi* commiscere, eamq; falsò *de Burneo* nuncupare. Addunt idem isti *Baneanes*, *Chinensem Caphuram* compositum esse medicamentum, quod temporis lapsu evaporet, & corrumpatur, *Caphura* verò *de Burneo* minimè. Mihi sane, addit, compositum medicamentum non videtur, tametsi *Manardus in Comp. Mes. dist*. 8. Contrasentire videatur. Sin verò fit, ex duobus Caphura generibus conflari necesse est.

Utriusque generis meminisse videtur *Serapio*, sed obscurè admodum, quum ait: majorem quantitatem esse

de *Hariz* minorem tamen esse, quam quæ à *Sim* adfertur. Id quod *Garcias* ita intelligendum putat, majorem nimirum quantitatem ex *Chinceo* afferri majoriq; forma esse, quam quæ ex *Burneo* advehatur, quandoquidem ejus quantitas drachmâ major non inveniatur, panes verò sive orbiculi ex *Chinceo* allati quatuor sint unciarum, aut eò ampliores.

Quædam grana Camphoræ nobiliora esse, quædam ignobiliora, idem *Garcias* testatur: Ea *caphura de Burneo*, ait, quæ magnitudine est milii, aut paulò major, maximâ ex parte vilior est. Gentiles enim, *Baneanes*, & *Arabes*, qui eam emunt, ejus quatuor constituunt genera. Namque dividunt in caput, in pectus, in crura, & pedes. Ejus, quæ ex capite est, libra pendit pardans octoginta, [est verò pardans monetæ aureæ apud Indos genus, quod conficit decem regales castellanos] quæ ex pectore aureis viginti: quæ ex cruribus, duodecim: quæ ex pedibus quatuor, aut ad summum quinq;. Curiosiores nonnulli quatuor instrumenta cuprea sumunt inæqualibus foraminibus pertusa [qualia qui uniones vendunt, habere solent] per quæ caphuram transmittunt. Ea quæ per instrumentum majuscula foramina continens, transmissa est, certum habet pretium: quæ per instrumentum mediocre, aliud: quæ per instrumentum minoribus foraminibus pertusum transmissa est, aliud etiam pendit pretium. In eâ verò discernenda adeò sunt experti *Baneanes* isti, ut Caphutam Caphurâ permistam dextrè distinguere norint, pretiumq; justum imponere, nemoq; sit, qui eos fallere possit.

Scaliger quoque differentiam Camphoræ ostendit: Præstantissima est, ait, quæ Sole albescit. Minus bona, quæ ab igne albedinem accipit, vel alio mangonio depuratur. Stillatitia diutius suas servat dotes & defecatior est.

est. Quare & pellucida. Illa inclusa non item, & color ei fuscior. Duæ præterea species non viliores. Una inæqualis, grumosa, gummosa. Altera fusci coloris.

In summo errore, atque in maximâ rerum ignoratione versatur *Fuchsius*, quando, ut supra notatum, Camphuram aliam nativam, aliam verò factitiam statuit.

CAPUT QUARTUM

NOTAS BONÆ CAMPHORÆ, UT ET QVOMODO ADULDERETUR, PROPONIT.

NOTÆ BONÆ CAMPHORÆ SUNT

1. Color candicans sine maculis.
2. Friabilitas.
3. Odoris fragrantia.
4. Inflammationis facilitas, quæ etiam in aquâ continuare solet.
5. Si tota sublimari queat, ac nihil remaneat.
6. Bona Camphora facile ab aëre consumitur, & evanescit instar salis cujusdam volatilis. *Paracelsus* l. 4. tr. 1. p. 53. dicit, Camphoram in loco immundo positam avolare instar nitri in igne.
7. Bonitatem Camphoræ quoque notat, si ea similæ nuper è furno extractæ & adhuc benè calenti, ac per medium dissectæ imponatur, & exinde vel fluat, vel madeat: sin siccetur magis, eam adulteratam esse sciendum.

Optima alias, quæ è Burneo advehitur, teste *Garciâ*, & Mandelsloh in Itinerario regionum Orientalium.

Præſtantiſſima etiam ea, quæ Sole albeſcit, ut antea dictum. Memoriæ prodidit *Ruellius* l.1.c.21. & hunc per omnia ſequutus *Matthiolus in* l.*Dioſcor. cap.* 75. uterque verò ex *Serapione*, eam Capharam cæteris bonitate præſtare, quæ à Rege quodam *Riach* [qui primus dealbandæ Caphuræ rationem adinvenerit] *Riachina* ſit denominata, *Scaliger*, & plurimi alii hoc affirmant. Ego verò, ait *Garcias*, ut id credam, adduci non poſſum, quandoquidem Indiæ reges potentiores ſunt, quam ut tali margonio operam dare opus habeant.

Verum enimverò mangonium hoc non videtur, ſed potius rei perfectio: & novum non eſt, quòd regionum Orientalium Magnates rei vel raræ, vel ſingulariter utili operam ipſimet impendam. Ita refert *Johannes Maffæus* l.6. & 12. *rerum Indicarum* & *Ludovicus Almcydas ſelect. epiſtol.* l.4. & *Petrus Jarricus* t.11.l.11. c.17. *Lircſcotus*, & alii, quòd Magnates, & Principes viri in Sinâ, ac regionibus vicinis valdè delectentur herba Thee, adeò, ut non detrectent, ſed potiùs honori ducant ſuis manibus eam vel amicis decoquere, vel alioquin ei miſcendæ temperandæve operam ſuam impendere, exſtructis propterea in palatiorum ſuorum interioribus conclavibus ac foculis ex pretioſiſſimis lapidibus lignisve iſti operi ſpeciatim dicatis: in quibus etiam curioſè aſſerventur ollæ, tripodes, infundibula, calices, cochlearia, aliaq; perpolita hujus culinæ inſtrumenta, quæ aliquot aureorum mollibus redempta, ac ſericis integumentis involuta intimis ſolummodo amicis oſtendant, neque minori loco habeant, quam apud nos adamantas, gemmas, ac baccata ſummi pretii monilia.

Quùm facile Camphora conſumatur, & in auras avolet, ſervanda eſt, monente *Scaligero*, in marmoreis thecis, adjecto ſemine lini, pſyllii, aut milii. Alii etiam piperis grana

sta addunt. In defectu marmorei vasis, eligendum plumbeum, stanneum, vel de ophite lapide paratum,

ADULTERATUR, ait *Scaliger*, sevo, & mastiche, & aquâ vitæ.

Quæ ex *Burneo* adfertur, inquit *Garcias*, plerunque admista habet minutissima lapidum fragmenta, aut gummi quoddam Chamderros illis vocatum, succino crudo persimile, aut ligni cujusdam scobem. Sed facile maleficium deprehenditur. Nullam præter hanc adulterandi rationem scio; Nam si interdum, rubentibus, aut nigricantibus maculis, respersa conspicitur, id vitium ex sordidarum, & impurarum manuum contrectatione, aut madefactione contrahi affirmant. Sed facile à Baneanibus id vitium emendatur: Siquidem in panno lineo colligatam in calidam aquam clam demittunt, addito sapone, & limonum succo, deinde probè elotam in umbrâ siccant, & multo candidior redditur, non multùm de pondere decedente. Id ab amico quodam Baneano fieri vidi, qui hoc secretum mihi credidit.

Camphoram ait *Renodæus l. 4. Instit. Pharmac.* non nulli referri putant gummi solo Juniperi: sed rudioribus tantùm, & ignavis sic malitiosè vafri imponunt. Quisque enim vel mediocriter in re medicamentariâ versatus primo intuitu fraudem aperit.

CAPUT QUINTUM

CAMPHORA AN SIT FRIGIDA INQVIRIT?

CAmphora an sit calida, vel frigida. graviter inter gravissimos authores controvertitur, & ferè æqualia rationum momenta in utramque partem producuntur.

FRI-

FRIGIDITATEM ejus, dicunt quamplurimi. arguit astrictio, & congelatio: capitis enim dolores mulcet illitu, incandescentes inflammationes restinguit, jecoris ardorem compescit, sanguinem cogit circa renes, & seminaria vasa refrigerat veneremq; extinguit, erisypelata mitigat, adversus gonorrhæam, & alba uteri purgamenta efficax est. Idem præstat pubi, seu imo ventri, testibus renibusq; admota, sanguinem è naribus profluentem sistit, collyriis ad calidas oculorum ægritudines utiliter imponitur, corpora frigiditate suâ à putredine præservat, diarrhææ opitulatur, febribus remedio est, somnumq; conciliat ex *Avicennâ* 3. l. *tract.* 2. c. 10. Et hinc judicatur frigida & sicca in ordine tertio, monente eodem l. 2. c. 133.

Subscribunt huic sententiæ *Serapio*, *Platerarius*, capite proprio de Camphorâ, & *Rhases*.

Garcias ab Horto suum addit calculum: in eâ, ait, cum multis recentioribus fuit opinione, Caphuram calidam esse ob illum odorem, & partium tenuitatem, quibus prædita est. Sed posteaquam experimento didici in ophthalmiis, & oculorum inflammationibus, tum etiam adustis impositam nivis frigiditatem retulisse, illicò sententiam mutavi. Adde quòd omnes, apud quos nascitur, frigidam asserant. Neque verò obest, quòd odorata sit, quandoquidem ob partium tenuitatem facile evaporat, & exhalat, qui in superficiè est odor, contra, quam in santalo, & rosâ, quæ ob suam astrictionem odorem in se retinent.

Consentiunt in eadem frigiditate *Christophorus à Costâ*, item *Andreas Lacuna* l. 1. *in Dioscor.* cap. 75. *Fernelius*, *VVeckerus in Antidotario*, & *Patres in Mesnem in Comment. trochisc. de Camph.*

Heurnius l. 2. *meth. med. ad prax.* Camphoram itidem frigidam, & siccam in tertio gradu nominat.

Querce-

Quercetanus l. 1. *defens. Herm.* c. 16. *Paracelsus* t. 4. & 5. ut & *Helmont. tr. de medicam. potest.* unanimiter refrigerandi vim in Caphurâ, diversimodè tamen, ut infra dicetur, locant.

Julius Cæsar Scaliger frigiditatem quoque propugnat. Negant quidem innovatores Camphoram esse frigidam, ait, quod facilè accendatur, atque etiam in aquis ardeat, & prætereà sit odoratissima. Verùm odor ejus ab aëreis partibus, quarum vi ardet etiam. Aquæ tamen habet tantùm quanta potest sub eâ formâ frigiditas conservari. Ardet autem propter pinguedinem. Stultitia autem est inscitiæ mater, aut filia. Quis enim dixerit, calidissima quæque facillimè ardere. Non enim similitudine semper evocatus transit ignis in corpora: Similitudinem caloris intelligo: sed & allicitur materia quædam, quæ eum propter raritatem facile admittere queat.

Fuchsius Caphuram ideò frigidam statuit, quum in officinis nymphææ substituatur; sed satis pueriliter.

CAPUT SEXTUM

CAMPHORA AN SIT CALIDA INVESTIGAT.

UT chalybis & pyritis collisione ignis in conspectum prodit; ita ex contrariarum opinionum pugna tandem veritas emergit. Proinde quùm hactenus authoritates ac rationes pro Camphoræ frigiditate audiverimus, eas quoque, quæ pro caliditate pugnant, in medium producamus.

Camphoræ autem caliditatem, inquiunt, arguunt sapor acris, fragrantiâ peculiaris, aërea substantia, levitas, raritas, & siccitas.

Et hinc *Averrhoës* caphyram calidam & ſiccam in tertio gradu eſſe ſtatuit.

Matthiolus in Epiſt. c. 137. alias rationes profert; Camphora, ait, medicamentum frigidiſſimum haudquaquam mihi perſuaſerim, quum non tantùm accenſa vehementiſſime flagret in aquis, ſed etiam ſit tenuiorum partium, ac acutiſſimi odoris, & manducata os excalefaciat, & admodum exſiccet, & hinc frigidiuſculis medicamentis rectè admiſceatur, ut craſſiorum medicamentorum vires ſecum ad interiores partes vehat.

Idem l. 1. *in Dioſcor.* c. 71. de lentiſco argumentorum difficultate perterritus Camphoram calidam & ſiccam eſſe arbitratur, codicesq; *Avicennæ* mendoſas eſſe, ſibi perſuadet.

Manardus in Comment. trochiſc. de camph. ut omnibus ſatisfaceret, dicit, legitimam camphoram eſſe frigidam, factitiam verò, quæ adulterata & bitumine infecta ad nos ex Indiâ deferatur, caliditate excellere.

Renodæus l. 1. *de mat. med.* c. 2. hanc litem alio modo dirimere ſatagit, dicitq; Camphoram diverſis conſtare partibus, & quum mixtæ ſi facultatis, frigidis & ſiccis partibus cogere, retinere, inſpiſſare & contemperare; odore verò, ſpirituum tenuitate, & partium aërearum ope, calefacere.

Cæſalpinus huc inclinat, quando ſubſtantiam Camphoræ quidem frigidam, ſpiritum autem ejus calidum eſſe judicat.

Zacutus lib. 3. *de Med. Princip. hiſt:* eidem ſententiæ favere videtur: Ne dubites, ait, plura enim ſunt, quæ quùm variis partibus prædita ſint, varias & longè contrarias ex ſe promunt vires. Sic opium frigidum eſt, licet amariſſimum ſit, & ita acre, ut linguæ impoſitum exulceret. Argentum

vivum

vivum frigidissimum est, quùm in perpetuo sit motu; ob tenuissimas partes tamen, quibus constat, resolvit, calefacit, penetrat, viscidam tenacemq; pituitam attenuat, incidit, & per sputum, alvum sudoremq; expurgat, & eam firmiter adhærescentem è distantissimis partibus attrahit. Sic alia quàm plurima ob diversas, quibus pollent vires, varios effectus producunt, ut lentes, aloë, Rhabarbarum, psyllium ferrum, chalybs, rosæ, lac.

Idem ibidem Camphoræ caliditatem ex inflammationis facilitate probare conatur: Si enim sententiâ *Galeni*, ait, standum est l. 4. *de usu part.* c. 9. dicentis, nullum frigidum promptè comburi; videtur camphora esse calida, & sicca: Nam igni imposita ardet, & in flammam citissimè convertitur. Audi loco citato *Galenum*, dum de pinguedine loquitur: *quæ certò, quòd calida res sit, dignoscetur & sensu ipso, utentibus eâ nobis vice olei: indicat autem id non minimum, quid facile in flammam transmutetur, tanquam ad flammæ naturam proximè accedat: nihil enim frigidum promptè comburitur.* Idem repetit l. 3. *de temper.* c. 5. *Verbi gratia, si oleum calidum est, non id inde spectabitur, quod glutinosum, aut pallidum, aut leve est, sed quòd facile inflammatur: id namque erat illi calidum potestate esse, quod celeriter energiâ in calidum mutatur &c.* Quare *Pandectarius* cap. 119. & *Proprietarius* superioris seculi Medici camphoram eruditè calidam, & siccam in secundo gradu proponunt.

Mindererus l. *de pestil:* c. 15. Camphoræ caliditatem peculiaribus rationibus it stabilitum: in eâ enim vim alexipharmacam, & venenum expugnandi esse, ait, id ipsum autem tali ratione fieri suspicatur, quod camphora assumpta mox interno calore quasi ignita, more flammæ exteriùs putridas exhalationes absumentis in corporis meditullio

lio flagrans, conquinatos spiritus, eosq; tetros, ac fœdo miasmate pollutos, aut inspiratâ veneni aliquâ labe contaminatos halitus cordi jam jam vicinos, ac circa præcordia hærentes exurat, ac sicco planè ac igneo calore pervadens partim dissipet, expellat, partim combustione absumptos, partim corrigat, atque emendet, proindeq; inter pestes alexiteria fortissima, ac validissima, reponendam esse, sive calida, sive frigida sit, quam tamen siccam omnes fateri cogantur.

Daniel Sennertus, in Paralipom: ut & l. 1. *med. Pract.* c. 1. caliditatem quoque defendit communibus aliorum rationibus adductus, 1. quùm facile inflammetur caphura: 2. saporem habeat amarum, 3. odorem vehementem: 4. partium tenuitatem, ac summam penetrandi vim.

Angelus Sala in hydræologiâ c. 13. non dissentit: Camphora, inquit, meritò vindicanda est à sinistro multorum medicorum judicio, qui frigidam, & siccam qualitatem ei tribuunt, quùm tamen promptissimè ignem concipiat, cui frigida sicca ob partes aqueas & terrestres commixtas naturâ adversantur, nec cum ullâ re minùs, quam cum terrâ convenit, quùm hæc arctissimè centro suo affixa maneat, caphura verò minimo negotio in auras evanescat, nec non acrimonia ejus, & odor contrarium evidenter arguant. Quare aromaticæ odoratæ, & subtilissimæ substantiæ ratione cum calidis potius, quàm frigidis cognationem habere rectè, statuitur. Nec obstat effectus externus inflammationes sedandi: Simile enim simile attrahere, experientia, & ratio probat; siquidem materiâ per penetrantem, attrahentem, & digerentem facultatem consumptâ, tumorem, & inflammationem cessare, manifestum est; imò internos etiam ardores vi suâ diaphoreticâ, & putrefactionem horum coërcente, ut plura hujusmodi remedia temperamento calida

lida, dissipare potest. Ejusdem valoris argumentum illud est, quod ex facultate libidines infringendi desumunt ad adsertionem temperamenti frigidi. Etenim si unicè, & propriè qualitas frigida sicca ad hunc affectum requireretur, sequelæ hæc foret necessitas, nullum nimirum simplex, quod calidum & siccum est, id perficere posse, quod autem experientiæ in rutâ, & agno casto non respondet.

Conradus Khunrath in medullâ distillatoria caliditati adstipulatur, & Camphoram spiritum summè volatilem esse, levi ignis calore sublimari, & ad nitri naturam quam proximè accedere, imò eam ignem non secus ac ipsum nitrum fugere, contendit.

Johannes Baptista Theodosius Epist. medic. 49. Camphoram quidem frigidam pronunciat, confitetur tamen in eâ, respectu sui copiosi odoris pariter esse calidas.

Gregorius Horstius in Epist. medicinal. in hâc controversiâ dirimendâ dubius esse videtur. Primò enim *Renodæo* haut obscurè subscribit: Camphoram, ait, non respectu mixtionis, sed efficienter in corpore nostro refrigerandi potestate præditam statuimus, idq; propter diversas partes, quæ in eodem effectu depræhenduntur. In fine autem istius epistolæ eam effectivè solùm in corpore nostro, & quidem per accidens refrigerare affirmat. Patet, ait, conclusionem nostram eousque jam demonstratam esse, nimirum Camphoram non in suâ mixtione considerandam esse pro tempore, sed quatenus corpus nostrum afficit, quumque manifestiores sint effectus refrigerationis [quanquam non contradicamus iis, qui cum calidis eandem simul adhibitam calefacere quoque pronunciant, tenuitate partium suarum, instar vehiculi eorundem operationem adjuvando] quam calefactionis, aliis calculum adjicimus, quò refrigerandi potentiam, & effectum Camphoræ concedunt,

cedunt, quantumvis idipsum non actuali frigore, adeoq; non actione univocâ, imò etiam aliquo modo κατὰ συμβεβηκὸς interdum fieri videatur.

Libavius p. 1. *apocalyps.* c. 16. ab hac opinione non dissentire videtur, quando ait: Camphora effectu medico ob spiritus inclusos, ut & Halonitrum frigida est: quâ ratione flagrat, non excedit genus sulphureorum.

Crato tr. de peste acre hoc authorum dissidium aliter componere nititur, dicitq; Camphoram esse tenuissimarum partium, cum calidis calefacere, cum frigidis autem refrigerare.

CAPUT SEPTIMUM
ARGUMENTA, QVÆ CONTRA CALIDITATEM CAMPHORÆ A QVIBUSDAM PROFERUNTUR, CONTINET.

AUdivimus hactenus authoritates, ac rationes cùm de frigiditate, tùm de caliditate Camphoræ. Frigiditatis effectum eam post se relinquere, apud omnes est inconfesso. An autem Camphora per se sit frigida, an verò per se calida, & per accidens solum præstet effectum frigidum, nondum satis clarum. Non enim desunt, qui rationes, quas hactenus de caliditate audivimus, infringere conantur, & in hoc medicamento nil nisi frigiditatem agnoscunt. In horum ordine non ultimus est *Ludovicus Hornicéus, Medicus Francofurtensis ad Mœnum*, qui in epistolâ quadam ad Clarissimum *Gregorium Horstium* scriptâ, rationes cum à *Renodæo*, tùm ab aliis de *odore*, *partium tenuitate*, & *inflammabilitate* [quibus camphoræ calorem stabilitum eunt,] productas, nullius momenti esse existimat: Hallucinationem quandam, [nisi ego hallucinor] hîc non deesse puto:

puto: qualis enim est iste Camphoræ odor, quo calor conjicitur? de gradibus ejusdem, an acutus, an verò ignavus sit, non dissero, sed num vel acris, vel acerbus, vel amarus &c. Quæ tamen odorum species eò, quòd homo exquisitam olfaciendi vim non nactus est minùs acriter pervestigari queunt. Confusum arbitror, ac qui vix, ac ne vix quidem sub simplici odoris specie demonstrari nedum hinc caloris afficere modo videri possit. Odor quidem omnis juxta *Aristotel.* l. *de sensu & sensili* c. 5. mixta corporis qualitas est à calore producta, eoq; duplici, interiori ac exteriori, quorum ille ceu odoris artifex humiditatem sicco coquit, temperatamq; reddit; hic autem Solis & ignis odorata corpora laxans, & extenuans, ut exhalent efficit. Verùm hinc omnia, quæ odorata sunt, calida pronunciare, ipsiq; frigiditatem in universum denegare, rigorosum nimis foret. Mixtum non datur, quod per calorem [qualemcunque] mixtum non sit, intelligo de eo, quod verè ac naturaliter, non autem artificialiter, seu per confusionem appositionemvé mixtum censetur: at talia miscibilia homogenea esse [hoc est, eandem naturam habere] debent, quæ sola non frigus, sed calor congregat, & è contrario heterogenea disgregat. Nullo tamen modo hæc omnia proinde calida dicenda sunt.

Nec odoris gradu gradum caloris metiri licet, quippe non quo calor major, eò odor acutior redditur: ferrum enim candens odoris haut est particeps, sed in sicco sapido caussa propriè latet: omnis namque res sapida odorata est. insipidam odor deficit, veluti lapis odore destituitur, quoniam nullius est saporis *Arist. dict.* l. Ita ligna odorem referunt, quia sapore sunt prædita: sicuti quoque in sapore humidum, ut in odore siccum dominatur, quod odoris ratione evidenter in aromatum lignis, ut cinamomo, & similibus:

libus cernere est, quæ quo ficciora [sapida tamen ut simul sint, necesse est] eò magis odora deprehenduntur.

Partium tenuitatem non nisi solam caliditatem arguere, minùs dixerim: hoc quippe si foret, oleum, & spiritus vitrioli aliâq; plura tenuitatem partium, ut sæpè per se in auram evanescunt, calida essent, id quod autem experientia infringit. Et licet ipsa quoque attenuarent, eoque nomine calida dicerentur, non indifferenter tamen de attenuantibus censendum, ut quæ crassos humores dividunt, solâ partium tenuitate, ob quam facilè in intimiores humoris partes sese insinuant, quos ideò motu suo separant ut acida, vel caliditate simul, ac partium tenuitate cum siccitate quadam conjuncta; unde acria omnia gustum & olfactum mordentia, qualia sunt aromata, & quæcunque à secundo ad tertium usque gradum cum partium tenuitate calida siccaq; attenuandi vim possident. Hinc omnia diuretia, hydrotica, digerentia, discutientia, & obstruentia, menses moventia, lithontriptica, pituitam, & melancholiam præparantia, attenuantia habentur, inter quæ sanè non pauca frigida reperiuntur: simili pacto nec incrassantia, [attenuantibus contraria] frigida omnia sunt, id quod tamen jure canonis logici, [contraria contrariorum &c.] esset, ubi quæque attenuantia non frigiditatem, sed calorem indigitarent. Sæpè igitur numerò confundi reor hosce terminos ad invicem, attenuandi vi pollere, & tenuium partium esse, seu spirituum tenuitate insignium dum illud qualitati, hoc substantiæ attribuendum. Adde, quòd vel ipsa Camphora substantiæ ratione, & tenuis, & crassa inveniatur, illaq; à pharmacopolis tanquam bona, hæc ubi simul fusca, nigra, & assulis ligni sui implicita, [ut *VVeckerus antidot. Spec.* l. 1. f. 17. loquitur] extiterit, tanquam mala censetur.

Alii

Alii aliter ſentiunt, & quod de aceto fertur, iſtud de Camphora quoque pronunciant, hanc nempe & calefacere, & frigefacere, & duo adverſa in uno ſubjecto reperiri. Verùm Regula Logica; adverſa ſe mutuò pellunt, & deſtruunt, eorumq; uno verè affirmato, alterum negari, neceſſe eſt, vetat. Nec illationi locum præberem huic [ipſam Camphoram cum calidis applicatam calefacere & contrà,] quoniã hujusmodi effectus ſupervenienti calididati potius ejus rei, quæ ab attrahentibus Camphoræ partibus exſugitur, & quæ ipſius frigiditatem ſuâ virtute, & mole calida obtundit, acceptus referendus eſt, eodem prorſus modo, quo acetum [*Galeni* teſtimonio 1. *de ſimpl. med. fac.* c. 9. & 4. *de ſimpl. med. fac.* c. 12. ut & l. *de marcore* c. 8.] frigidum, cui carryophyllorum flores infuſi ſunt, majorem, ac per ſe ſimplex obtinebat, calefaciendi facultatem induit; vel vinum ſublimatum per ſe calidiſſimum ab adjecto papavere erratico, vel hyoſcyami ſemine bonâ parte frigidum redditur.

Minùs ferit, Camphoram *facillimè accendi, & in aquis ardere*, eoq; nomine maximè calidam eſſe: ardet enim, & accenditur aërearum partium vi, & propter pinguedinem. Quis enim calidiſſima quæque facillimè protinus ardere aſſeverabit?

Experientiam, alterum medicinæ crus, & fulcrum, cui *Avicennæ* judicio, ſi hoc aliud, aliudq; ratio indicat, uni innitendum, & cui contradicere non eſt, niſi τοῦ ἐπιπολάζοντος conſulamus.

Prodit autem illa, tantùm abeſſe, ut Camphora calidiſſima ſit, ut circa tertium gradum refrigeret, calidos capitis dolores illita mulceat, incandeſcentes inflammationes [jecinoris præſertim] reſtinguet, renes, & vaſa ſeminaria ab nimio ardore liberet: contra eriſypelas unguentum camphoratum album, & rubrum maximè facere,

 quis

quis vel balneatorum, & circumforaneorum nescit. Hactenus *Hornicæus*.

CAPUT OCTAVUM

CAMPHORAM REVERA CALIDAM ESSE PROBAT, ET ARGUMENTA IN CONTRARIUM ALLATA DILUIT.

NOstram sententiam ut addamus, existimamus Camphoram omninò esse calidam, & quidem in tertio gradu ob sequentes rationes.

1. *Ratione substantiæ*, quia est resina, seu sulphur vegetabile. Omnes autem resinæ sunt calidæ, ut abiegna, lariegna; & similes. Ergò & hæc est calida.

2. *Ratione qualitatum*: Quia odoris est fragrantissimi, & satis constantis, naresq; ceu sal volatile peculiare admixtũ esset, cum vehementiâ ferientis. Quæcunq; autẽ odore fagranti pollent, sulphure inprimis scatent: sulphur enim primum est odorabile, ubi verò sulphur prædominatur, calorem quoque ibi dominium obtinere necessum est.

Etiamsi verò odor in multis sulphureis non percipitur, id fit saltem in integris: in resolutis verò manifestissimè percipitur. Sicut enim vinum actu frigidum apparet, etsi sit calidissimum, ut ex spiritu vini inflammabili, qui ex eo elicitur, apparet: ita sunt multæ res odoratissimæ, quæ tamen integræ nullum de se odorem emittunt, nisi contritæ vel accensæ. Hinc etsi sulphur ac pinguedines integræ odorem multum non spirant: tamen ubi accenduntur & præcipuè ubi in fumum mutantur, odor satis percipitur, quod vel ex candelarum extinctarum fætore satis animadverti potest. Et quantum fætorem exhibeant pinguedi-

nes accensæ, nemini ignotum. Ipsum opium etiam satis gravem habet odorem, & moschus quo in minores partes resolvitur, eò plus odoris spirat. Neque semper in rebus odoratis partes sulphureas abundare necesse est. Sæpè enim in exiguâ quantitate est magna virtus, sicut & sales aliis alii sunt acriores. Neque sulphur semper in formâ oleosâ & pingui apparet, sed sæpè etiam in spirituosâ, ut in spiritu vini videre est. Ita in rosis minima est quantitas spiritus Φλογιςȣ̃, sed is valdè odoratus est, ut aliquæ ejus guttæ magnam etiam aquæ copiam odoratam reddant, ut habet *Sennertus* l. *de consens. & diss. Chim. cum Arist. & Galen.* cap. 11.

Hæc si attendamus, satis manifestum est, Camphoram esse calidam, & quidem in excellentiori gradu, facilisq; est responsio ad objectiones *Hörnicei.* Quòd enim urget, non omnia odorata esse calida, concedimus de gradu, i. e. non sunt calida æqualiter. Omnia autem odorata sunt calida vel magis, vel minus, prout pars sulphurea vel major, vel minor est admixta. Quod autem in Camphorâ partes sulphureæ palmam obtineant, res ipsa loquitur, quùm facilè inflammetur, & tota abeat in oleum. Et hinc Camphora non immerito calida in tertio gradu vocanda.

Nec sequitur, quòd porrò objicit, quò calor major, eò odor acutior. Verùm enim hoc est in quibusdam, non in omnibus. In aliquibus, ut antea dictum, odor non nisi in resolutione percipitur. Simile de ferro candente huc non quadrat. Quæstio hic est de rebus à naturâ compositis, & calidis, non de iis, quæ arte calefiunt.

Quòd tandem odorem à sapore deducere, & omnem rem sapidam odoratam proclamat insubidum est. Dantur enim res sapidissimæ, & acerrimæ, quæ nihil, vel certè minimum odoris habent. Quanta corrodendi vis, & acri-

& acrimonia sit in Arsenico, mercurio sublimato, oleo vitrioli, & aliis mineralibus, item in dracunculo, aro ac similibus, notissimum est, in quibus verò nullus, vel exiguus odor deprehenditur, quâ de re fusiùs agit *Sennertus* l. *de ens. & diss.* l. c.

3. Quia instar sulphuris facillimè inflammatur, & semel accensa etiam vim aquæ, in quam projecta est, eludit. Argumentum equidem hoc rejicit & irridet *Scaliger exercit.* supra citata, & qui eum sequitur, *Hornicéus*. Verùm sine caussa. Nihil enim accenditur, nisi quod sulphureum, seu bituminosum, ut aliis placet: & quicquid inflammatur, ideò inflammatur, quia sulphureum. Et hinc etiam *Libavius in Comment. Alcch:* p. 2. l. 2. f. 202. Camphoram vocat ignem potentialem. *Pix, & resinæ, veluti Caphura, & alia*, ait, *ardent promptè, sicut sulphur, usque dum peruruntur, maximè verò Caphura. Num ideò, quia sulphur, caphura, pix, ignes sunt potentiales, nullaq; humiditate alienâ misti, sed puri?* Neque tamen inflammabilitas, simplicis elementi affectio est, sed corporis misti, quod seu sulphur, seu bitumen, seu pinguedinem, seu oleum appellare velis, per me licet, ait *Sennertus in Paralipomenis*. De nomine, addit, non litigabo, modò de re constet. Inflammabilia verò omnia calida: unde & camphora calidior: quamvis non contra licet concludere, omnia calida esse inflammabilia. Neque enim omne corpus calidum v. g. Sal est inflammabile, sed quoddam saltem, puto sulphureum. Quòd verò res quædam, etsi sint sulphureæ, non facilè inflammantur, ideò fit, quia vel densæ, & non raræ, vel quia aliarum partium admistione inflammabilitas impeditur. Ita oleum, sævum, & cera accenduntur, sed non facile, verùm cum ellychnio, quo corpus densius distrahitur, & rarefit: unde etiam copioso oleo affuso

flam-

flamma extinguitur; quæ tamen ſine oleo eſſe non poteſt. Ipſa verò raritas per ſe inflammationis cauſſa non eſt. Neq; enim pumex, vel alia multa rara inflammantur. Sed raritas ſaltem facit, ut res per ſe inflammabilis faciliùs inflammetur. Ita picea ligna non inflammantur facile recens ab arbore reciſa propter admiſtū adhuc humorem aqueum, exſiccata verò facilè inflammantur.

Galenus eodem argumento ad caliditatem pinguedinis olim eſt uſus 4. de U. P. C. 9. dicens: quæ pinguedo certè quod res calida ſit, dignoſcitur ſenſu ipſo utentibus eâ nobis vice olei; indicat autem id non minimum, quòd facile in flammam transmutetur, tanquam ad flammæ naturam proximè accedat: nihil enim frigidum promptè comburitur. Idem repetit l. 3. *de temperam.* c. 5. Verbi gratia ſi oleum calidum eſt, non id inde ſpectabitur, quòd glutinoſum, aut pallidum, aut leve eſt, ſed quid facile inflammatur? id namque illi erat calidum eſſe poteſtate, quod celeriter in energiâ calidum mutatur.

Quidam *Serapionem* l. *ſimpl.* c. 374. ſequuti, Caphuræ largioris proventus augurium eſſe dicunt, ſi frequentibus fugetris cœlū coruſcet, ac crebro tonitru conſtrepat. Hoc licet *Garcias* fabuloſum putet, nullum tamen dubium, quin caphura tanquam materia ſulphurea à calore ſolari in aërem elevata, ac cum aliis ſulphureis, ac nitroſis exhalationibus in nubibus unita fulguris vehementioris ac crebrioris ſit author.

4. *Saporem habet amaricantem.* Jam verò juxta commune axioma; omnia amara ſunt calida. Ergò & Camphora. *Helmentius* Caphuram piperis ſaporem habere dicit. Unde etiam è pipere adjecto quaſi nutrita conſervatur, nec tam facile conſumitur. Licet quidem non tam accuratè guſtu piper reddat, manifeſtè tamen ei ſapor aromaticus,

cus, *Salâ* & *Matthiolo* teſtibus, ineſſe videtur, haut obſcurus inſiti caloris index.

5. Quia ſumma partium tenuitate prædita eſt: unde inſtar ſpiritus vini fortiſſimi ſpontè evaneſcit, ac in auras avolat, niſi probè in thecis recondatur, & in loco frigido ſervetur.

Teſtatur hoc *Angelus Sala in hydræologia* c. 13. Caphura, ait, in claſſe ſulphureorum propter puritatem, candorem, & penetrandi vim jure principatum obtinet, & æquè citò, ac ſpiritus vini acceſſu caloris, ne dicam ignis, in auras evolat. Paulò pòſt addit: Neque ſatis admirari queo ejus ingenium, quod adeò aëreum, ac ſubtile, ut niſi ſingulari induſtriâ condatur, ſe ipſam exhalando interficiat. Id quod certè non leve caliditatis argumentum eſt.

6. Potentiſſimè totum corpus penetrat, quòd ipſum quoque fit ob partium tenuitatem, & inſitum calorem. Quæ enim frigida, potius incraſſant, denſant, nec tam facilè ac ſubitò penetrant.

7. Tota poteſt ſublimari, & hinc videtur eſſe ſulphur quoddam vegetabile arctiſſimè ſale quodam volatili mixtum, adeoq; ſummè calidum.

8. Quæ multas continent partes frigidas, cum calore quodam mixtas, facile putreſcunt, & corrumpuntur. Camphora verò corruptioni minimè eſt obnoxia, ſed, niſi evaporet, diutiſſime integra. ac ſalva ſervari poteſt. Id quod ipſum quoque excellentis caloris indicium eſt.

9. Effectus in multis caliditatem probat; ſudorem enim movet, putredini reſiſtit, ac res, quibus admiſcetur, à putredine præſervat, quæ omnia non frigiditatis, ſed caliditatis ſunt indicia. Quòd verò in multis affectibus refrigerandi poteſtatem obtineant, iſtud non per ſe, ſed per accidens ſolùm, ut capite ſequenti dicetur, præſtat.

10. Solvitur caphura solùm in spiritu vini, & oleis cujuscunque generis. At nihil radicaliter solvitur, nisi à nonnihil simili. Sic Sulphur non solvitur in aquâ forti, vel in aquâ Regis fortissimâ, sed oleis tantùm, utpote Sulphuris naturam æmulantibus. E contrario metalla solvuntur non oleis, sed spiritibus salinis ceu magis affinibus. Et hinc quoque quùm caphura non nisi oleis & spiritibus sulphureis, ac calidis solvatur, ipsa quoque naturæ erit sulphureæ, multumq; caloris in recessu habebit.

Caphura quidem, si cum aqua forti infundatur, leniq; calore digeratur, etiam solvitur, ac instar olei supernatat. Verùm si ab igne removeatur, olii formam amittit, iterumq; coagulatur. Ideò ista solutio non est radicalis, sed superficiaria quasi. Partes salinæ volatiles videntur aliquid facere ad istam solutionem. Verùm quùm sint pauciores, & arctissimè cum partibus sulphureis unitæ, ut non commodè segregari queant, solutio quoque per spiritus salinos radicaliter fieri nequit. Quod verò resinæ, eaq;, quæ è bituminum sunt censu, plerùmque aliquid salis volatilis in recessu habeant, testatur manifestè succinum, terebinthina, aliaq; similia. Difficulter quidem Sal volatile ab hisce separatur, & seorsim in conspectum prodit, nisi cautè operationem instituas. Si miscetur cum oleis, ea reddit rubicunda, ut chimiæ peritis notum.

CAPUT NONUM
QVA RATIONE CAPHURA SÆPIUS EFFECTUM PRÆSTET FRIGIDUM, EXPLANAT.

QUamvis autem Camphora suâ naturâ sit calida, sæpiùs tamen in usu medico effectum præstat frigidum: revera

vera enim, ut ait *Garcias*, & alii, æstum febrilem, oculorum inflammationes, erisypelata, dolores capitis ab æstu ortos, aliaq; symptomata calida, ut supra cap. 5. dictum, mitigat, & sic manifestè refrigerat. Quomodo autem istud fiat, & quâ ratione Camphora suâ naturâ calida refrigerare queat, nondum satis videtur constare.

Etenim quòd quidam, ut *Manardus*, Camphoram constituant duplicem *legitimam*, & *factitiam*, hancque calidam, illam verò frigidam statuant, nihil est. Unica sanè est Camphora, differtque solum ratione loci, ac depurandi modo, ut supra ostensum.

Quòd porrò ratione diversarum partium calefaciat, ac refrigeret, ut vult *Renodæus*, & *Zacutus*, demonstrari nequit. In Rhabarbaro quidem, cinamomo, malo citrio, & in vegetabilibus quam plurimis possumus diversas qualitates, ut vim laxandi, & astringendi, calefaciendi, ac refrigerandi, & similes ante oculos ponere. In Camphorâ verò diversas partes, quæ quidem contrarias habeant qualitates, ostendere nullo modo possumus: tota enim sublimatur, totaq; abit in oleum sulphureum, ac inflammabile, Et licet quædam particulæ salinæ volatiles videantur admixtæ, eæ tamen itidem sunt calidæ.

Quod quasi Mercurialis sit naturæ, ac cum calidis calefaciat, cum frigidis verò refrigeret caphura; ut vult *Crato*, æquè dubium, quùm solam cum exteriùs tùm interius datam refrigerandi virtute pollere, experientia confirmet.

Alii aliis rationibus refrigerandi potestatem eruere, ac stabilire allaborant.

Ita *Quercetanus* refrigerandi vim sulphuri narcotico camphoræ tribuit.

Helmontius in *tractatu de medicamentorum potestate* absten-

abstrusiorem rationem in medium profert: Cadaver humanum, ait, languidâ morte extinctum, etsi juxta ignem vehementer tepesceret, tamen tactui videtur esse frigidissimum, adeò ut manus vix queant inde dudum post recalescere. Idq; sanè non fit, generatâ in nobis qualitate, quæ frigus nominatur: quæ scilicet in sui contemplatione nostrum calorem totidem punctis superet, ut tanti frigoris excessum imprimat. Sed potiùs eò, quòd vitalis spiritus, cadaver pertimescens à manu recedat. Pariter namque Camphora piperis saporem gerens, & opium amarum refrigerare dicuntur, quatenus Archéum subigunt, aut fugant. Quo pacto etiam Blas febrile, idem numero frigus primò, ac dein calorem in Archéo suscitat.

Paracelsus. tandem l. 4. & 5. Camphoram effectum frigidum vapores coagulando torporemq; membro inferendo præstare existimat. *Libro 2. de gradibus & compositionibus* aliter sentit, & dicit, Camphoram ex qualitatibus elementaribus frigiditatem habere, sed in substantiâ suarum primarum calidam manere. Alibi dicit, eam in caliditatem abire præparatione, seu resolutione in oleum.

Verum enim verò nec hæ rationes explent animum sciendi cupidum. Si enim vis narcotica in Camphorâ, *Quercetani* decreto, esset, spiritus animales torpidiores reddere ac somnum quoque inducere debebat: quùm tamen contrarium ipsa experientia ante oculos ponat, & vigiliæ potius largiore Camphoræ usu promoveantur.

Vim paregoricam quidem admittimus: lenit enim dolores in inflammationibus adhibita; sed eâ ratione solùm per accidens somni caussa est, quatenus nimirum obstacula removet, non autem per se, ut opium, & vera narcotica effectum suum præstant. Somnum quidem, verba

sunt *Garciæ*, inducit, foris, aut intus exigua quantitate usurpata. Si quis verò sæpiùs odoretur, & naribus adhibeat, cerebrum exsiccat, & vigilias creat.

A verò maximè alienum, Camphoram Archéum subigere, vel fugare, ut vult *Helmontius*. Si res enim ita se haberet, Camphora in peste, & febribus malignis non esset remedium satis tutum: isti enim morbi non requirunt prosternentia Archéum, sed potius roborantia, & restaurantia.

Tandem æquè dubium est, Camphoram coagulando vel vapores, vel humores, & torporem membris inferendo refrigerare, ut voluit *Paracelsus*. Hoc enim esset vi narcoticâ agere. Verùm quod ea in Camphora locum non habeat, antea fuit dictum.

Existimamus autem, Camphoram effectum in corporibus nostris præstare frigidum, partim obstructiones in venis, & arteriis aperiendo; partim salia volatilia sylvestria vaporibus, sulphureis, ac æstuantibus scatentia imbibendo, & præcipitando.

Obstructio si fit in parte quadam, sanguis subsistit, nec commodè ex arteriis ad venas penetrare potest, unde effervescit, intemperiem calidā partium, inflammationes, dolores aliaq; symptomata excitat, ut in pleuritide aliarūq; partiū inflammationibus fieri solet. Et hinc si in principio pleuritidis convenientia aperientia discutientia, humoresq; acidos ac sulphureos præcipitantia adhibeantur, inflammatio sopitur, doloresq; senescunt. Ita *Helmontius* l. de pleurâ furente gloriatur, quod si pulverem de virgâ cervi, vel tauri, vel cruorem hirci ritè collectum ac præparatum, vel succum cichorii sylvestris tanquam gemina in eo affectu præcipitantia adhibeamus; citò sine omni sanguinis detractione sanatio præstari queat.

Nullum

Nullum dubium, quin simili modo Camphora cùm aperiendo, tum discutiendo, & præcipitando virtutem suam exserat, & refrigerium cùm exterius tùm interius præstet.

Sennertus l. 1. *med. Pract.* c. 1. propter similitudinem quandam caphuram calidos vapores evocare, vel discutere, & sic per accidens refrigerate autumat: Camphora, ait, etsi vulgo frigida esse statuatur, tamen doctissimi hodiè Medici rei evidentiâ edocti, quique inflammationem, partium tenuitatem, odorem, saporem considerarunt, calidam esse rectè statuerunt. Maximè enim inflammabilis est camphora, partiumq; summâ tenuitate prædita, sapore acri, odore maximè penetrante, vigilias inducit: quæ omnia caliditatis argumenta sunt. Quibus omnibus persuasi ad intemperiem capitis refrigerandam nonnulli planè ineptam censent, veteresq; de alio succo, vel gummi loqvutos putant: alii verò in capitis intemperie calidâ corrigendâ ideò saltem adhiberi putârunt, ut partium tenuitate reliquis medicamentis viam muniat. Verùm probabilius est, ratione similitudinis calidos vapores evocare: Sicuti combustis non frigida, sed calida, refrigeratis tempore hyberno membris, non calida, sed nix, & aqua frigida adhibentur, eâdem de causa. Imò illam ipsam ob causam etiam humida humiditates è corpore evocare valent, sicut cochlearum caro extra applicata ex intimis quoque corporis partibus humores evocat, ut *Galenus l. de simpl. medic. fac.* docet, & experientia id testatur.

Angelus Sala in hydræoblogiâ c. 13. huc inclinare videtur: Aromaticæ, ait, odoratæ, ac subtilissimæ substantiæ ratione Camphoram cum calidis potius, quam frigidis cognationem habere rectè statuitur. Nec obstat effectus externas inflammationes sedandi: simile enim simile attrahere, experientia, ac ratio probat; siquidem

materia per penetrantem, attrahentem, & digerentem facultatem consumpta tumorem, & inflammationem cessare manifestum est; imò internos etiam ardores vi suâ diaphoreticâ, & putrefactionem horum coërcente, ut plura hujusmodi remedia temperamento calida, dissipare potest.

Hac ratione Camphora Spiritui Theriacali, mixturæ simplici, aliisque compositionibus nupta quid in febribus partiumq; inflammationibus præstet, ipsa experientia manifestum.

CAPUT DECIMUM
AN CAMPHORA SIT HUMIDA, VEL SICCA, INQUIRIT.

Camphoram humidam esse, *Rhases* contendit. Verùm humidam eam constituere, quùm facile flammam concipiat, & tota conburatur, facile etiam sponte consumatur, & evanescat, videtur contra omnem rationem.

Veriùs eam *Avicenna*, ac *Serapio*, quos sequuntur alii quamplurimi, siccam in tertio gradu esse dicunt. Tantam ejus siccitatem esse putat *Cardanus*, ut semen exficcet, & sterilitatem inducat: quod tamen potius Virtuti specificæ, quam siccitati tribuendum esse videtur.

Simili modo *Goclenius in Loimograph.* malè Camphoram in putredine omni arcendâ, ac venenosis halitibus profligandis solâ siccandi vi operari autumat, quum & ibi ad occultam qualitatem alexiteriam magis respeciendum esse videatur.

Calida ergo & sicca Camphora meritò statuitur, quùm sit sulphura facilè inflammetur, & in destillatione nullum vel parum liquoris fundat, sed integra sublimetur,

tur, vel tandem tota in oleum abeat. Occultæ tamen qualitates in morbis malignis, venenoq; extinguendo non sunt secludendæ.

CAPUT UNDECIMUM

PRÆPARATIONES CAMPHORÆ DELINEAT.

CAmphora, ait, *Angelus Sala*, propter substantiæ puritatem multâ præparatione non indiget, poteftq; dari in substantiâ, in formâ pulveris, aut liquoribus appropriatis soluta, aut mixturis cordialibus, & alexiteriis addita.

Notandum autem, Camphoram pulverisaturus mortarium, ac pistillum prius oleo amygdalarum dulcium, vel papaveris illinet, vel prius aliquot amygdalas dulces in mortario contundat, aut earum oleo quodammodo madefiat, & ita minus adhærebit faciliusq; in pulverem abibit.

Vel Recip. *amygdal. dulc. excorticatarum, & incisarum* num. iiij.
Sacchari canti albi ℥j.
Camphoræ ℥ſ.
M. F. in mortario pulvis.

Si pulveres, quibus misceri debet, in ipsâ contusione addantur, res melius succedet. Ejusmodi autem pulveres cum Camphorâ mixti non diutius reponendi, Camphora enim sic paucorum dierum decursu, imprimis æstate evanescet.

Quidam ne nimis refrigeret, Camphoram corrigunt adjectâ ambrâ, aut moscho, & ne obsit cruditas, affundunt oleum violarum, teste *Heurnio.*

Alii, ut vis penetrandi exaltetur, & commodius Caphura assumi queat, eam solvunt in spiritu vini, & ita in pe-

ſte propinant, cujus ſolutionis meminit *Zvvingerus* in epiſtola 264. à *Scholzio* editâ.

Quercetanus l. *de medicor. ſpagyr præpar.* p. 117. hanc ſolutionem cum S. V. vocat *eſſentiam Camphoræ.*

Idem in *Pharmacop. reſtituta* p. 734. eſſentiam Camphoræ extrahit cum ſpiritu vini tartatiſato.

Poſſet etiam talis extractio fieri:

Recip. *Tincturæ* ♀ ℥ vj.
extr. rad. ononid. ℥ ſ.
Camphoræ ʒj.
M. Dirigere, & extrahe.
S. Eſſentia Camphoræ Nephritica.

Majori autem cum fructu ſolvitur in ſpiritu Theriacali, qui deinde miſcetur cum ſpiritu Vitrioli, & tartari, vocaturq; mixtura ſimplex, ſive mixtura *Andernaci*, qui l. *de novâ ac veteri medicinâ* part: 2. pag. 557. eam deſcripſit, eſtque talis:

Primô quidem ſpiritus Theriacalis ita paratur:

Recip. *Spiritus vini rectificati* ℥x.
Theriacæ Androm: ℥v.
myrrhæ rubræ ℥ ij ſ.
croci oriental. ʒſ.

Notandum, ſpiritum Theriacalem habebis elegantiorem, ac præſtantiorem, ſi loco ſpiritus vini ſimplicis, ſumas ſpiritum baccarum Juniperi, florum ſambuci, ſcordii, Angelicæ, vel Zedoariæ.

Omnia ita indantnr cucurbitæ erectæ, impoſitoque alembico, in quo Camphoræ ʒij ponantur, clauſisq; exactè juncturis ſtent in balneo per dies quatuor, ut nihil, vel parum deſtillet, poſtea lento igne primùm, hinc fortiore deſtillentur, ſpiritusque, qui exſtillavit, materiæ reſiduæ,

iterum

iterum affundatur, dirigendoq;, & destillando labor hic tertiâ vice repetatur.

Recip. *hujus Spiritus Theroacolis* p. v.
Sp. ♀ *benè rectificati* p. iiij.
Sp. ⊕. p. j.
F. Mixtura.

Hujus tamen compositionis non primus est author *Andernacus*, ut quidam putant; sed *Paracelsus*, qui t. 7. c. 8. *de Vitriolo* p. 189. & 190. expressis eandem compositionem proponit. Eo autem in loco *Paracelsus* haudquaquam spiritum Vitrioli communem, prout in officinis prostat, sumit; sed Spiritum Vitrioli striatum aliquoties de calcinato abstractum; vel imbibit ⊕ S. V. & deinde instituit destillationem, ac sæpius repetitam cohobationem.

Hunc Spiritum ⊕ miscet cum Spiritu Theriacali camphorato, & Sp. ♀ rectificato, laudatque egregie in gravissimis affectibus.

Hisce Spiritibus summè volatilibus Camphoræ vis augetur, & exaltatur, & fit compositum totum corpus potentissimè penetrans, obstructiones reserans, circulationem sanguinis promovens, spiritus cùm vitales, tùm animales recreans, laudabilesque effectus quamplurimos, de quibus in sequenti capite dicetur, post se relinquens.

Loco dicti Spiritus Vitrioli etiam addi potest Spiritus ⊕ philosophicus, Spiritus Salis striatus, ac bene depuratus, vel etiam spiritus trium mineralium.

Huc misturæ ita paratæ si sociatur extractum galegæ, scordii, centaurii min. cardui benedicti, angelicæ, valerianæ, sassafras, ligni sancti, vel similium, elegantem tincturam, seu Elixir Bezoarticum habebimus, ut

Recip.

Recip. *Misturæ simplicis ritè paratæ* ℔j.
Extracti galegæ.
valerianæ
fl. pœon. an. ʒij vel ʒiij.

Digere calore lenissimo per noctem, ac deinceps in vitro benè munito in loco frigido ad usum repone.

Vel. Recip. *Sp. Theriacal. Campb.* p. v.
♀ *benè rectif.* p. iiij.
trium mineral. p. 1.
Extr. fl. papar. rhæad. ℥ſ.
M. Digere.
S. Tinctura antipleuritica.

Pro usu diverso etiam sala volatilia possunt admisceri, à quibus vis aperiendi exaltabitur.

Non desunt, qui Camphoram in aceto solvunt, ejusque cochl. j. in peste sumendam svadent, cùm ut æstus internus exstinguatur, tùm ut malignitati obviam eatur.

Gelatinæ Cornu Cervi, qui eam miscere tentabit, eum felicioris curationis spes haud decollabit.

Vel Recip. *gelat. C. C. cum aceto destill. parat.* ℥iij.
Succi berber. depur. ℥j.
Camph. in sp. Ther. solut. ℈ſ.
M. Dosis *cochl.* j *in aqua Bezoartica quadam.*

Acetum Bezoarticum Camphoratum, quod aëris infectioni resistit, *Angelus Sala in tractat. de peste* proponit:

Recip. *Aceti vini potentiß.*
Succi citri Hispan. an. Mens. ij.

Destilla in B. M. & collectâ fere mediâ parte phlegmatis sumatur liquor remanens in cucurbitâ, qui magis efficax & virtuosus est, cui infundantur, ut

Recip.

Recip. *Carlinæ, Vincetox.*
Valerian. Zedoar.
Angel. Cort. exter. citr.
Herb. scarl. Dictamni Cret.
Absinth. Rom.
Flor. rosar. rubr.
Fr. myrtill.
Cinam. electiß.
Santal. odorif. an. ℥j.
Sp. 🜍 *rectif.* ℥iij.
Camph. ʒij.

Vitro bene clauso [quod ultra dimidium repletum non sit] ut nihil exspirare possit, omnia in B. M. macerentur per 40. horas, & postea liquor coletur cum expressione, qui ad usum asservetur.

Acetum hoc Bezoarticum Camphorat. duobus modis usurpatur, primò quotidiè matutino tempore parum naribus, temporibus, atq; pulsibus illinatur: deinde secũ gestetur sæpiusq; odore percipiatur, quod fieri potest phiolâ vitreâ parvâ, cui sit osculum amplum, in quâ particula spongiæ sit immissa, quod obducatur postea membranâ foraminibus parvis pertusâ, per quæ contentum acetum transudet, cui usui pomum aureum, argenteum [sed deauratum] eburneum, vel ligneum, foraminibus pertusum cum spongiâ commodùm etiam inservire potest.

Alii solvunt Caphuram in oleo amygdalarum dulcium, & deinceps de soluto aliquot guttulas in variis affectibus in convenientibus vehiculis offerunt.

Hartmannus in Praxi Chim. pag. 430. sequenti modo solvit:

Rec. *Camphoræ* q. v.

Olei amygdalarum dulcium ad eminentiam trium digitorum.

Digere per octo dies. Deinde affunde S. V. rectificatum ad eminentiam trium digitorum, stent iterum per octiduum, & tum S. V. à Camphorâ abstrahe.

Commodius ita solvi potest cum dicto oleo, ut:

Recip. *Camphoræ.* ℥ſ.

Olei amydal. dulc. ℥vj.

Digere calore leni, donec Camphora sit soluta, adde spiritus vini cum croco orientali, bene tincti ℥iij. vel ℥iiij. Spiritum vini leni calore abstrahe, ut remaneat tinctura croci in oleo amygdal. dulc: Camphorato.

S. Essentia Camphoræ alexiteria.

Citius fit solutio, si oleum baccarum Juniperi, terebinthinæ cypriæ, vel simile sumatur, Vel

Recip. *Ol. baccarum Juniperi* ℥ij.

Citri ℥ſ.

succini albi ℥ij.

angelicæ ℨj.

Camphoræ ℨij. vel ℨiij.

F. l. a. solutio in balneo.

Adde extracti Zedoariæ liquidi

angelicæ an. ℨj.

croci ℈ſ.

Iterum digere, ac serva pro usu.

S. Essentia Camphoræ alexiteria composita.

Cum aliis oleis ad varios quoque affectus frigidos potest solvi, ut:

Recip.

Recip. *Olei carvi* ℥j.
aurant. ℥ſ.
fœniculi ʒſ.
menthæ ʒſ.
Camphoræ ʒj.
M. Digere, donec ſolvatur.
S. Eſſentia Camphoræ anticolica.
Item Recip. *Olei myrrhæ* ℥j.
ſuccini ℥ſ.
meliſſæ
ſavinæ an ʒj.
Camphoræ ʒj.
M. Digere & ſolve.
S. Eſſentia Camphoræ uterina.

Alii ut vires Camphoræ exaltent, eam in oleum per ſe deſtillatione mutant, *Keslerus Cent.* 4. 66, modum ita proponit.

Recip. Camphoræ q. v. include eam in cucurbitâ, cui impone aliam inverſam, & juncturis benè munitis inſtitue ſublimationem in cineribus leni igne. Si maximam partem Camphora in ſuperiorem inverſam ſublimata fuerit, eam inverte, & colloca in cineribus, iterum ſublima, & inverſionem toties repete, donec Camphura per ſe abeat in oleum.

Alii ut operationem citiùs, ac feliciùs abſolvant, aliquid retinaculi loco, ne nimirum Camphoratam ſubitò integra elevetur, addunt

Ut Recip. *Camphoræ* ℥v.
argillæ albiſſimæ
vel boli armenæ
vel pumicis pulveriſ. ʒxv.

Miſce, & in mortario ad 10. vel 12. horas diligenter

 con-

contunde, donec Camphora non amplius appareat. Tùm affusâ aquâ rosarum fiant globuli, quos in umbrâ exsiccâ, destilla per Retortam, ac oleum per vesicam rectifica. *Hartmannus* destillatum miscet cum S. V. part. iij. destillat per alembicum igne leni, & sic cum S. V. oleum elevatur, quod separandum.

Alii etiam addunt loco argillæ terram sigillatam. Ossa calcinata, vel cornu cervi calcinatum etiam substitui potest.

Nota, si quæ pars Camphoræ in primâ destillatione integra ascendat, ista denuò cum novâ argillâ, vel aliâ materia miscenda, & tam diu destillanda, donec quoque in oleum abeat.

Keslerus etiam hunc modum proponit:

Recip. *Camphoræ*
Olei ♀ *per deliquium facti*
Talci pulveris. an. q. v.

Destilla per Retortam, & habebis tres diversorum colorum instar iridis liquores, quos separa.

Vel Reip. *Camphoræ* ℥iiij.
Spiritus vini ℔j.

Spiritum vini tam diu abstrahe, donec Camphora nigredinem induere incipiat, tum eam misce cum argillâ & destilla per Retortam, & habebis oleum: quem modum idem *Keslerus* habet.

Vel Recip. Camphoræ s. q. misce cum bolo, vel terrâ sigillatâ, destilla per Retortam in arena; & ascendet Camphora instar butyri, quam sume, misce cum tartaro calcinato, vel cum Sale tartari, vel cum Sale absinthii p. ij. adde Sp. V. ad eminentiam trium digitorum, destilla per alembicum in balneo. Spiritum vini Camphorâ imprægnatum, misce cum aquâ, & separabitur de eâ oleum Camphoræ,

phoræ, quod supernatabit. Materiæ in cucurbitâ relictæ affunde alium S. V. destilla, ut antea, donec omnis Camphora in oleum mutata sit, quod rectifica.

Khunrath hanc methodum docet:

Recip. *Camphoræ* ℥iij.
ɵl. *communis* ʒij.
♀ *calcinati* ʒiij.
M. tere, adde lactis q. s.
F. massa:

Digere lenissimo igne ad 3. dies, tum adde vini Malvatici ℥iij. Fecum vini opt. cochl. j. Destilla in cucurbitâ per arenam, cohiba aliquoties, & tandem habebis oleum.

Alii Camphoram destillaturi miscent eam cum oleo nucum, pinguedine gallinæ, oleo amygdalarum dulcium, vel Terebinthinæ, addunt bolum, & demum destillationem instituunt.

Hartmannus alio modo laborem instituit, ac oleum amygdalarum dulcium addit:

Recip. *Salis absynth.* ℥ijs.
Camphoræ ℥js.
Ol. amygdal. dulci. ℥iij.

Misce, diligenter digere per biduum calore leni, destilla per retortam, destillato iterum salis absinthii ℥ijs. admisce, ut quantum de pondere amissum sit, restituatur, digestionem, & destillationem, ut antea, repete, & habebis oleum perfectum.

Idem p. 431. Recip. *Camphoræ subtiliß. pulverisat.* ℥js.
Spiritus Terebinth.
vel. ol. amydal. dulc. ℥ij.
ɵl. *Absinthii* ℥iis.

 M. Di-

M. Digere, ac demum per Retortam destilla. In fine recipiens amoveatur, ne destillatum empyreuma concipiat. Hoc peracto ignis ita regatur, ut Sal absinthii in Retortâ à fœtore sufficienter repurgetur, & simul calcinetur. Huic Sali oleum primò destillatum affunde, diligenter commisce, & in aliâ retortâ oleum per destillationem abstrahe, Sal verò iterum calcinetur, & ita à fætore repurgetur, & hæc omnia, tertiâ vice repetantur. Tandem in hoc adhuc butyroso oleo fragmenta tegulæ ignitæ, ollæ apertæ injecta extinguantur, olla verò statim post infusum super tegulas oleum optimè cooperiatur, & ultimò omnium ita per retortam igne lento destilletur: sequetur oleum clarum, quod autem à phlegmate, si quod adsit, segregandum.

Alii miscent eam cum Saccharo, ac destillationem cohobationemque aliquoties in cineribus, vel arena instituunt.

Nonnulli Camphoram in ovo ad duritiem cocto, & adhuc calente solvunt in oleum, qui modus ita instituendus: Ovum adhuc calens dissecant, ac vitello rejecto cavitatem camphorâ replent, iterum conjungunt, cum filo muniunt, ac in cellâ, vase subjecto, suspendunt, & ita oleum per deliquium exstillat. Sed hoc oleum tractu temporis iterum in camphoram mutatur. Præstabit itaque hoc oleum cum terrâ sigillatâ miscere, per retortam destillare, ac aliquoties cohobare, ubi feliciori successu habebis oleum.

Hartmannus etiam ita per expressionem oleum Camphoræ parat; ut: Recip. ovorum quotquot vis ad duritiem coctorum, vitella eximantur, æqualis proportio Camphoræ addatur, hæc mixta contundantur, deinde in mortario agitentur, destillatorio vitreo cum alembico cœco injiciantur, in B. collocentur, coquantur, postea exempta

pta sacculo ex panno è lana injiciantur, dum adhuc calent, exprimantur, extillabit oleum, cui affundatur S. V. ut oleum supernatet.

Vel Recip. Camphoræ q.v. pulverisata vitro injiciatur, pani adhuc calenti imponatur, paneq; calido obstruatur, & habebis oleum.

Ita etiam quidam Camphoram solvunt in aquâ forti, cui ceu oleum supernatat, quamdiu calet; quando autem vitrum ab igne removetur, oleum istud iterum in Camphoram mutatur, molliorem tamen, quam antea, quæ si deinde misceatur cum terra sigillatâ, facilius in oleum verum abibit. *Paracelsus* hoc oleum S. V. digerendum, & demum destillandum jubet.

Hartmannus hanc operationem in suâ Practicâ Chimiatricâ commendat:

Solve Camphoram in spiritu epileptico ex vitriolo, & urinâ puerorum leni calore, & Camphora elevabitur in formâ olei ad superficiem. Hoc seorsim collige, & cum terra sigillatâ sicca, & pauco aceto forma globulos, destilla, ex arenâ per retortam, & prodibit spiritus, seu oleum Camphoræ valde fugax.

Modus optimus quoque est, si Camphora solvatur in Balsamo vitæ Anhaltino, misceatur cum bolo, & destilletur per retortam.

Quidam arcani loco habent modum sequentem. Nimirum cucurbitam è lunâ finâ conficiendam curant, in quam in fundo ignitam Camphoram per vices injiciunt, & statim alembicum superimponunt, & sic dicunt, eam citius olei formam acquisituram.

Licet rubedo in oleo Camphoræ à Sale volatili dependere videatur, & innoxia sit, quidam tamen modum, quo albescat, ac pellucida fiat, ostendunt.

Pri-

Primò quidem albeſcit confuſione cum aquâ calicâ, & ſuccuſſione clauſis foraminibus in vaſe ventricosò ad eam comparato, aut gutto, *Libavius in Syntagm. arcan, chim.* l. 6. c. 5.

Albeſcit etiam hoc oleum, ſi ſuper talcum calcinatum fundatur, ac per biduum maceretur. *Sennertus in Inſtitut.*

Tinctura Camphora Paracelſus meminit, quæ fieri debeat digerendo in ſuum liquorem cum vino vitæ.

BALSAMUM CAMPHORATUM NON EST OMITTENDUM.

Recip. *Ol. ſem. citr. per expresſionem extract.*
Ceræ flavæ an. ℥j.

Cera in oleo cirri ſolvatur ſubjectis cineribus calidis, poſtea remotis ab igne, & inſtar unguenti refrigeratis adjungantur primo ſequentia.

Gelatinæ citri, vel ſucci citri condenſati ʒj.
Ol, citri deſtill.
angelicæ.
abſynthii an ʒſ.
thymi.
roſmarini.
Caryophyll. an. ℈j.

Camphoræ ſubtiliter pulveriſatæ, vel in dictis oleis diſſolutæ gr. xx. M. Balſami hujus uſus eſt in peſte, ut quotidiè matutino tempore nares, tempora, ac pulſus eo illinantur, inſigne enim eſt præſervatorium ab aurâ peſtilenti veneno infecta, ut habet *Angelus Sala in tractatu de Peſte* p. 433.

CAPUT DUODECIMUM

VIM CAMPHORÆ DIGESTIVAM EXAMINAT.

QUòd Camphoræ usus in multis rebus, etiam in ipsis cibis in Regionibus orientalibus sit, testatur *Garcias*. Istud hactenus imitati fuere *Europæi*: nullus enim fere morbus est, in quo non Caphuræ vires tentârint. De singulis ordine.

VIS DIGESTIVA

in Camphora est peculiaris, quà humorum biliosorum æstum mitigat, Salinorum volatiliumq; acrimoniam obtundit, ac præcipitat, obstructionesq; si quæ concurrunt, simul aperit. Imò propter insignem penetrandi virtutem etiam locum habet in temperaturis phlegmaticis, ac melancholicis. Et hinc mistura simplex *Paracelsi*, de quâ capite antecedente fuit actum, à multis non solùm propter alia ingredientia, sed imprimis quoque propter Camphoram additam pro Digestivo universali habetur, potestq; summo cum fructu dari cùm ante tùm post purgantia, cùm in morborum curatione, tùm præservatione ab iis.

Species diatrion Santalon Nicolai Myrepsi sunt camphoratæ, digeruntq; humores calidos, salinos, ac acres:

Recip. *Trium Santalorum an.* ℥ij. ℈i.
Rhabarbari,
Spodii ex ebore,
Succi glycyrrhicæ,
Sem. Portulacæ an. ℥ij.
Amyli,
gummi Arabici
Tragacanthi

Sem. 4. frigidor. maj.
intybi seu scariolæ an. ℈iiij.
Camphoræ ℈j.
Violarum ʒß.
Rosarum ℥iij. & ʒiij.
M. D.

Lætificans Galeni falso Galeno attributum, quum potius Nicolai præpositi sit compositio, Camphoram recipit, digeritque humores frigidos in ventriculo, & hypochondriis. P. A.

CAPUT DECIMUM TERTIUM
VIRTUTEM ALEXIPHARMAMACAM ET ANTIFEBRILEM CAPHURÆ RECENSET.

VIS ALEXIPHARMACA imprimis hîc eminet.

Johannes Crato l. *de peste* ait: plurimum potest Camphora cum paucâ theriacâ, vel Mithridatio, sed ne ultra grana tria dentur.

Idem ibidem, Camphora curativum singulare est in peste, si tempestivè adhibeatur, ait.

Idem *in epistol.* 103. *apud Scholzium* Camphoram omnia composita in peste excellere affirmat.

In epistolâ 234. in peste buboniâ vel cum carbunculis nihil melius usu Camphoræ esse confirmat.

Hoc *Cratonis* Electuarium Camphoratum *Sennertus* efficax esse dicit:

Recip. *Scordii* ʒiij.
tormentill. dictamni albi,
Zedoar: gentianæ,

angelicæ, caryophyllat. an. ℨj.
Croci,
Camphoræ an. ℨſ.

Pulveriſentur aſpergantur q; aquâ Carduibenedicti, in quâ diſſolutæ fuerint Theriacæ ʒij. & cum ſ. q. ſirupi de ſucco Carduibenedicti F. *Electuarium.*

Zvvingerus in epiſtolâ 264. à Scholzio editâ: Camphoram cum ſpiritu vini ſolutam quidam in peſte maximi faciunt.

Fernelius l. 5. *meth.* c. 21. Camphora malignos vapores præſertim calidos exſtinguit, ab hisq; ſenſuum exſolutionem reparat.

Mindererus de peſte c. 15. noſtris laudibus inſigniter meritò celebranda venit Camphora, non mirabile modò, ſed & forte, ac efficax peſtis alexiterium, ſiquidem hæc aſſumpta interno noſtro calore mox ignita, & in corporis meditullio quaſi flagrans, conquinatos ſpiritus, eosq; tetro miaſmate pollutos, aut inſpiratos, ac circa præcordia hærentes exurit, & ſicco planè igneoq; calore pervadens, partim diſſipat ac expellit, partim combuſtione abſumit, partim verò corrigit & emendat, Proinde Camphoram inter fortiſſima peſtis alexiteria non immeritò repoſuerim.

Andreas Libavius p. 3. *ſingularium* l. 5. *cap.* I. *ex Aëtio,* ut ſuccinum ita & Camphoram in peſte profligandâ, putredine ac venenis arcendis plurimum valere, teſtatur.

Hildanus l. *de gangr. & Sphacelo:* Camphora inter fortiſſima alexiteria non immeritò à viris doctis numeratur: putredini enim mirum in modum reſiſtit. Quapropter non ſolùm vapores, qui ex corrupto, ex putrefacto membro verſus cor aſcendunt, repellit, verùm etiam maximum calorem partium internarum temperat.

Angelus Sala in hydræologiâ cap. 13. idem atteſtatur: Caphura in foro medico non infimum obtinet locum, & ad compoſita cordialia ac antidota plurimo eſt in uſu. Paulò poſt addit: Virtutes ejus ſunt inſignes contra malignas, ac peſtilentes febres, & poteſt cum inſigni fructu, vel in formâ pulveris, aut liquoribus appropriatis ſoluta mixturis cordialibus, & alexiteriis addi.

Idem in tractatu de Peſte p. 458. ſequens Diaphoreticum peſtilentiale camphoratum proponit:

Recip. *Gran. Juniperi recent.* ℔ ij.
fol. Dictami Cret.
Scordii montani Cret.
Rad. angel.
Cort. Citr. exſiccat. an. ℔ j.
aq. vitæ ſimpl. poc. viij.
aq. Comm. poc. iiij.

Deſtilla per veſicam, donec materia ſpirituoſa omnis ſeparata ſit, tum adde,

Rad. Carlinæ ℥ iiij.
Vincetox.
Zedoar. an. ℥ jſ.
Succ. Veronicæ condenſati
Croci anglici an ℥ ſ.
Camphoræ ℥ j.

Digerantur in Balneo M. in vitro benè clauſo, ne quid ſpirituum exhalet, per quatriduum, ſed nota, quòd vitrum capax eſſe debeat, quò vapores aſcendentes circulentur, & viciſſim ſuper materiam deſcendant. Elapſo hoc tempore, & balneo refrigerato per inclinationem liquor infuſus ſeparetur, & ſuperſtes materia exprimatur, quantum

tum fieri potest, & finaliter ad ℥xxiv. adjunge Sir. papav. rhæad. ℥vij. & Sp. ⊖l. rectif. g. xl.

Quercetanus in Pestis alexicaco multum quoq; tribuit Camphoræ, variisque compositionibus eam immiscet.

Celebre etiam est ad pestem Electuarium de ovo Imperatoris Maximiliani, cui quoque ob singularem vim alexiteriam Camphora additur. Descriptio videatur apud *Quercetanum* in pestis *Alexicaco* p. 321.

Sennertus l. *de curatione pestilentiæ* c. 6. suo quoq; testimonio hîc Camphoræ vim alexipharmacam confirmat: Quò majorem veneni vim esse animadvertimus, ait, eò efficaciora, & quæ præsentissimas vires habeant, medicamenta eligenda sunt; quo in genere excellunt aquæ, & Spiritus destillati, quæ mox in totum corpus penetrant, pestilentiq; veneno se opponunt. Facit idem Camphora, quæ reliquorum medicamentorum quasi vehiculum est. Non magnâ tamen ejus copiâ opus est, sed duo, vel tria grana sufficere possunt.

Hartmannus in Praxi Chimiatricâ mirè oleum Camphoræ ad pestem deprædicat: à quo, ait, ego hanc descriptionem habeo, is Noribergæ ejus olei ℥ſ. pro 30. florenis pestis tempore vendididit, quotidiè in multis probavit, sanctèq; jurabat, se catenis vinci, vitamque ipsam amittere velle, si quis peste correptus hujus olei guttulas 4. vel 5. usurpans non liberetur. Est etiam præservativum contra hunc ipsum morbum mane ad guttam unicam in quocunque liquore sumptum.

Martinus Pansa in 3. *consil. antipestilent. quæst.* 24. Camphora, inquit, propter odorem acutum præservat à putredine, quo fœtorem corporis internum quasi extrahit, ac depellit. Quapropter quilibet Medicus Camphoram in suis antidotis contra pestem libenter uti debet.

Augenius l. 3. *de peste cap.* 8. Camphora sicca, & inflammabilis malignos vapores extinguit, & Spiritus exsolutos reparat.

Fumanellus l. *de peste* c. 5. hoc habet: Camphora pota in peste salutaris est, & si quis quotidiè eam biberit, resistit, ne quis peste afficiatur.

Johannes Jacobus VVeckerus in antidotario speciali l. 1. *Sect.* 17. *de gummi, & resinis*: Camphora corpora à putredine præservat, Proinde commodè antidotis admiscetur, quæ contra venena, venenatorum animalium ictum, & pestilentes affectus conficiuntur.

Johannes Poppius libr. de usu medicam: Chimic: Camphoram dissolve in aceto, hujusque cochlear unum sume, exstinguetur inde ardor, seu æstus internus malignus à pestis veneno caussatus, & excitatus.

Confectio Liberantis, ut & Pulvis rubeus Cæsaris contra Pestem in P. A. Camphoram habent admistam, & ideò in peste ac febribus malignis valdè commendantur.

Goclenius in Loimogragh: hanc virtutem Camphoræ in peste, & venenosis morbis à solâ siccitate ejus dependere autumat, verba ejus sunt: Camphoram in putredine omni arcendâ, & venenosis halitibus arcendis non postremum obtinere locum ob exsiccandi virtutem verisimile est.

Verùm si sola siccandi vis hoc præstare posset, alia remedia, in quibus vis siccandi magis conspicua, idem quoque effectum darent. Quamobrem præter qualitates manifestas omninò etiam vis alexipharmaca Camphoræ concedenda videtur.

Quod occulti quid in Camphora lateat, confirmare videtur *Jordanus* libr. de eo, *quod divinum est in morbis*. c. 30. ubi Camphoram etiam in morbis à veneficio ortis commendat.

Non

Non autem ſolùm Camphora cruda, verùm etiam ſoluta in S. V. aceto, & ſimilibus in peſte, febribus malignis, & venenis aliis prodeſt. Palmam obtinet mixtura ſimplex Paracelſi, Tinctura Bezoartica, eſſentia alexiteria camphorata ſimplex, & compoſita ſupra delineata, & alia compoſita.

Imò Camphora non ſolùm interiùs data vim alexipharmacam habet, verùm etiam exteriùs adhibita eandem exſerit. Unde *Quercetanus*, *Rulandus Capellutius Medicus Parmenſis* aliiq; eam non ſolùm epithematibus cordialibus cephalicis, hepaticis, aliisque, verùm etiam in peſte admiſcent.

Conradus Khunrath affirmat Camphoram vim ad venena extrahenda majorem eſſe, ſi exterius applicetur, quam ſi internè aſſumatur, imò ſolùm ejus odorem & fumum ſerpentes aliaq; animalia venenata fugare.

Angelus Sala ad cordis anxietatem in peſte hoc uſus eſt epithemata, ut:

Rec. *Fl: calendulæ*
roſar. rubrar.
borrag. exſiccat.
fol. meliſſæ
Santali citrini
ligni aloëes
Corc. extern. citr. an. ℥ij.
Camphoræ ℈j.
M. F. Pulvis ſubtilis.

Hic pulvis cum bombace comprehendatur in ſacculis ex ſindone rubro paratis, & interpaſſatis æqualiter, poſtea cum aceto roſaceo, & ſucco citri aſpergatur, & regioni cordis paululum calefaciendo per vices applicetur, ſemper exſiccato uno ſacculo viciſſim altero impoſito, idque

tam

tamdiu continuando, quamdiu id ipsum necessarium videbitur.

Eadem mixtura naribus quoque pro virium restauratione adhibenda.

EMPLASTRIS

etiam Camphora ad venenum è carbunculis pestilentialibus extrahendum, & discutiendum admiscetur. *Angelus* Sala hoc habet:

Recip. *Picis navalis.*
resinæ pini.
gummi ammoniaci depurati,
ceræ virgin. an. ʒjſ.
Asphalti ʒj.
mellis ad nigredinem adusti, & pulverisati ℥ſ.
Camphoræ in oleo succini solutæ. ʒj.
M. F: Emplastrum,
quod linteo ad usum extendatur.

IN FEBRIBUS MALIGNIS, ARDENTIBUS, AC PETECHIALIBUS

Mixturæ simplicis Camphoratæ, vel Tincturæ Bezoarticæ in tempore adhibitæ vires sunt egregiæ.

Mesue suos Trochiscos de Camphora hîc commendat, ut: Recip. *Rosarum rubrar* ʒiiij.
sacchari albi.
mannæ an. ʒiij.
santali citrini ʒiiſ.
glycyrrhizæ.
spodii an. ʒij.
sem. 4. frig. maj.
Gummi Arabici.

Traga-

Gummi Arabici.
Tragacanthi.
Nardi Indicæ.
Croci an. ℥j.
Ligni aloës, amyli,
Cardamomi major.
Camphoræ an. ℈ij.

Cum mucilagine ſem: pſylli extracta cum aq. roſar. formentur Throchiſci.

Oleum Camphoræ in febribus peſtilentibus, ardentibus, ac continuis laudet *VVeckerus in antidotario.*

Nicolaus Myrepſus ſect. 1. *cap.* 213. *Species diatrion Santalon* Camphorâ imprægnatas ad febres bilioſas, viſcerum inflammationem, & omnem intemperiem calidam poſteritati reliquit, quarum compoſitio ſupra fuit tradita.

Confectio de hyacyntho Camphoram continet, & à morbis peſtiferis præſervare dicitur.

Eſſentiam Camphoræ alexiteriam ſupra propoſitam in febribus proficuam eſſe, confirmat *Schröderus in Pharmacop.*

In omni febre Camphoræ oleum ex uſu eſſe, tradit *Keslerus cent.* 4. *operat. Chimicar.*

Oleum aranearum Mindereri Camphoram recipit, & hinc efficax in febribus malignis, ac petechialibus, ſi arteriis, ac cordis regioni adhibeatur: venenum enim evocare creditur. Videatur *Pharmacop. Auguſt. Zwölfferi.*

VARIOLARUM AC MORBILLORUM

Expulſionem egregiè juvat *mixtura ſimplex camphorata Paracelſi.*

Essentia Camphoræ alexiteria suâ hîc non destituitur laude.

Pulvis rubeus Pannonicus cum Camphorâ apud Augustanos in variolis & morbillis cùm in curatione, tùm in præservatione valdè commendatur.

Cicatrices in facie à variolis relictæ carne faciliùs replentur, si aschiæ pricis axungiâ Camphorâ nonnihil temperatâ illinantur.

Khunrath in medullâ destillatoriâ eadem virtute oleum Camphoræ pollere testatur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

VIRTUTEM CAMPHORÆ IN VARIIS CAPITIS AFFECTIBUS OSTENDIT.

IN quamplurimis capitis affectibus Camphoræ virtus est excellens.

IN CADUCO sive EPILEPSIA, Camphoram quidem noxiam esse, *Crato* l. 1. *consil.* 28. dicit; *Paracelsus* tamen *libro de morbis amentium*, eam virtutem vapores epilepticos coagulandi habere, tradit. Miris etiam laudibus in caduco extollit mixturam simplicem camphorâ imprægnatam.

Lazarus Riverius in praxi medicâ cap. 5. eandem mixturam simplicem in epilepsiâ commendat.

Quercetanus in tetrade gravissimorum totius capitis affectuum. c. 16. aquæ suæ epilepticæ Camphoram admiscet, quùm Sulphure mitigativo scateat. Hujus generis sulphur, ait, mitigando, sedando, extinguendoq; tanto fulminis ardori, in cerebri nostri cœlo furenti, & insultus hos epilepsiæ sulphureos jaculanti, optimum, ac congruentissimum est.

Hart-

Hartmannus in Praxi Chimiatricâ ſuo Laudano Antiepileptico Camphorato magnam vim tribuit, quod tale eſt:

Recip. *Laudani noſtri ex Sulphure ⊕ facti* ℥j.
Olei Camphoræ ʒſ.

M. & habebis Laudanum præſtantiſſimum, cujus uſus tam in paroxyſmo, quam ad curationem extra paroxyſmum doſi ſæpiùs reiteratâ, præmiſſis univerſalibus.

Oleum etiam per ſe datum ad puerorum epilepſias multum valere p. 476. affirmat.

Sennertus in paroxyſmo epileptico exterius iminentis naribus adhibendis Camphoram miſcet, ut:

Recip. *extracti rutæ* ℈ij.
Caſtorei ℈j.
ol. deſtill. rutæ.
Succini.
majoran. an. gr. iij.
Camphoræ gr. v.
Theriacæ antiq. ʒſ.
M. F. Linimentum.

IN MANIA

Paracelſus oleum Camphoræ mirè extollit, ejusque ſimile non reperiri affirmat, ſi ad ʒj. cum olei muſci vel moſchi ʒj. una vice propinetur, dicitq; operationem fieri coagulando materiam maniæ, ceu aqua in glaciem coæguletur. Suadet præterea, ut idem oleum fronti, ac temporibus illinatur.

Khunrath idem oleum in mania laudat.

Lazarus Riverius in maniâ ſequens epithema camphoratum præſcribit:

Recip. *aqv. nymph.* ℔j.
Salis Prunellæ ʒj.
Camphoræ ℈j.
M. & cum linteis duplicatis admove tepidè syncipiti.

IN PHRENITIDE

In principio pro aperiendis in cerebro obstructionibus, discutientisq; vaporibus locum habere potest mistura simplex camphorata, mixta quidem cum essentia florum papaveris rhæados. Oleum Caphuræ hîc quoque proficuum esse, putat *Khunrath*.

Exterius *Penotus* sequens epithema laudat:

Recip. *moschi gr.* xij.
Camphoræ gr. xv.
aqv. rosar. rubr. cum tincturâ Santal. rubri impræg. ℥xx.

M. Madefiant lintea duplicata in hoc liquore, & capiti deraso omnibus suturis applicentur tepida.

Lazarus Riverius sequentia epithemata camphorata præscribit.

Recip. *aquæ rosarum* ℥iiij.
borragin.
bugloß.
acetos. an. ℥ij.
aceti vini albi ℥ſ.
pulv. trium santal. ʒjſ.
spodii ʒſ.
ligni aloes ℈ſ.
croci gr. vij.
M. F. Epithema cordi applicandum.

Recip.

Recip. *aq. lactuc.*
rosar. an. ℥iij.
endiviæ.
portulac. an. ℥ij.
aceti rosacei, ℥j.
santali albi.
rubri.
spodii an. ℈j.
Camphoræ, spicæ nardi
an. gr. vj.
pulv. diarrhod. abbad. ʒij.
M. F. Epithema hepati adhibendum.

Recip. *Santali citrini*
flor. rosar. nymph. an. ʒj.
Camphoræ ℈ſ.

Includantur in vase angusti orificii cum aqua rosarum, & supra ignem ebulliant, vaporque naribus excipiatur.

VERTIGO

In Camphorâ quoque medelam non ignobilem invenit. Quùm enim vertiginis, & epilepsiæ ratione vaporum fere caussæ sint eædem, & Camphora suas vires in epilepsiâ habeat, in vertigine quoque non sine fructu exhiberi potest.

In tali casu non semel cum laudabili effectu, præmissis universalibus mixturam simplicem camphoratam dedimus.

Hartmannus in praxi Chimiatricâ, p. 430. oleum Camphoræ in vertigine laudat.

Spiritus Theriacalis camphoratus in ore detentur, & illitus temporibus, ac vertici, roborat cerebrum, ac discussionem vaporum juvare potest.

IN APOPLEXIA.

Sal volatile C. C. item cranii humani mixtum cum mixtura simplici camphoratâ admirandas exserit vires, modò clysteres fortiores, venæsectionem, ac alia universalia prius administraveris.

IN DOLORE CAPITIS

Camphora multis modis ex usu est.

Ex hypochondriis si vapores ascendunt, à Camphorâ præcipitantur, partimq; discutiuntur.

Caput, si per essentiam laborat, mixtura simplex camphorata suâ non carebit efficaciâ.

Essentia Camphoræ alexiteria, ut & oleum Camphoræ per se paratum egregias in hoc symptomate habent vires.

Exteriùs adhibita miram efficaciam præstare solet.

Fernelius l. 5. *Therapeut.* c. 17. Caphura capitis ardorem, cephalalgiam ab æstu naribus admota, aut cum santalis, & aquâ rosarum stillatitiâ in frontis, ac temporum fotu adhibita mitigat.

Nicolaus Piso l. 1. *de cognosc. & curand. morb.* cap. 6. Camphoram cum aquâ rosaceâ sæpiûs odoratam cephalalgiam lenire tradit.

VVeckerus in antidot. l. 1. Camphora illita capitis dolores mulcet.

Sennertus l. 1. *med. pract.* c. 1. in cephalalgia ab intemperie capitis calidâ, Caphuram quoque in aquâ rosarum solvendam, & gossypio, vel spongiolâ sæpiûs naribus admovendam svadet. Vel

Recip. *Santal. citrin.*
flor. rosar.
nymph. an. ℨj.
Camphoræ ℈ß.

Assun-

Affundatur in vase angusti orificii aqua rosarum, & supra ignem ebulliant, vaporq; naribus excipiatur.

Angelus Sala ad dolorem capitis cum æstu, delirio, & vigiliis *in tract. de peste* fronti sequens cataplasma camphoratum adhibendum monet, ut:

Recip. *Fl. Sambuci exsicc. nymph.*
rosar. rubrar.
Hordei mundi an. ℥ſ.
Succini albi ʒiij.
Croci Anglici ℈j.
Camphoræ.
Opii Thebaici an. ℈ſ.
F. Pulvis subtilissimus. Deinde addantur
Olei Nymphææ
Amygdal. amar. an. ℥vj.
aceti sambucini
aq. rosar. opt. an. q. ſ.
Coque in formam Cataplasmatis, applica.

Hildanus l. *de Sphacelo* ad capitis dolorem, & vigilias, temporibus, & fronti sequens linimentum caphuratum sæpius adhibendum præscribit:

Recip. *Ol. rosarum.*
nenuphar. an. ℥ſ.
Caphuræ.
Opii dissoluti in aq. beton. an. gr. vj.
M. F. Linimentum.

Mindererus quoque testatur, quod caphura extrinsecus fronti embrochis, spleniis, & perfusionibus adhibita semper in cephalalgiâ plurimum prodesse visa fuerit.

Khunrath in Cephalalgiâ solvit Camphoram in spiritu vini rectificato, addit albumen ovi, aquæ, vel aceti rosarum

rum cochlearia viij. applicandamq; cum mundis linteolis jubet.

Spiritum Theriacalem camphoratum sæpiùs cum fructu in dolore capitis temporibus, & vertici illinivimus. Si croci tinctura sit admixta, majores experiere vires. Vel potest crocus integer hoc spiritu irrorari, & temporibus applicari.

Camphora in Spiritu liliorum convallium soluta, easdem obtinet vires.

IN SPASMO

Camphoræ oleum suppetias ferre *Keslerus* tradit.

IN MELANCHOLIA.

Camphora non omni caret fructu: moderatè enim data vapores tetros, ex hyporchondriis ascendentes, præcipit, imò teste *Avicennâ*, lætificando, & roborando partes operatur.

Nicolai Præpositi compositio *Pleres Archonticon* dicta in P. A. camphoram recipit, tristibus, melancholicis, ut & memoriâ laborantibus plurimum prodesse dicitur.

Pulverem pro epithemate cordis camphorâ mixtum Augustani melancholicis, splenicis, tristibus, ac desperantibus succurrere tradunt.

AD ROBORANDOS SENSUS

& virium restaurationem calidis temperaturis commodo est, si camphoram in aquâ rosarum solvant, sæpiùs assumant, naribusque temporibus, ac pulsibus applicent. *Khunrath*.

CATARRHIS AC CORYZÆ

opitulatur oleum camphoræ. *Khunrath*.

SOMNUM INDUCIT

Camphora foris, aut intus exiguâ quantitate adhibita. *Garcias*.

Oleum

Oleum Camphoræ ſomnum promovet.

Vel Recip. Camphoram, miſce cum ol. roſar. & lacte muliebri. Hoc inunge tempora.

VIGILIAS PROMOVET

Camphora, teſte *Avicennâ* l. 2. c. 134.

Garcias autem diſtinguit, dicitq; camphoram hoc ſolùm præſtare, ſi ſæpius odoretur, & naribus adhibeatur: ita enim cerebrum exſiccare.

AD MEMBRA RESOLUTA ET CONTRACTA.

Khunrath hoc habet unguentum camphoratum:

Recip. *Sevi bovini veteris.*

Theriacæ Venet. an. ℔ ſ.

Camphoræ ℥ſ. *in S. V. ſolut.*

M. F. Unguentum:

Ægroti membra reſoluta in balneo calefiant, leniter fricentur, & deinde hoc unguentum ſæpiùs juncturis adhibeatur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

CAMPHORÆ USUM IN AFFECTIBUS OCULORUM IN MEDIUM PROFERT.

IN OPHTHALMIA,

Oculorum inflammatione, ac dolore Camphoræ vis *Garciæ*, plurimorumque authorum teſtimonio eſt nobilitata. Interius poteſt dari & miſceri cum aliis ad ſanguinis fervorem attemperandum. Univerſalia tamen non omittantur.

Ut vinum interdum ſecundum *Hippocratem* 6. aph. 31. in ophthalmiâ utile, ita quoque ſudorifera.

Lazarus Riverius l. 1. *observ.* 7. feliciter in hoc affectu diaphoreticis est usus. Non semel idem fuimus imitati mixturâ simplici camphoratâ, quæ præmissis purgantibus, ac V. S. fluxionem ad oculos discutit, serumq; salsum, & acre ad cutis peripheriam deducit.

Harmannus in Praxi Chym. ad omnes partium inflammationes oleum camphoræ ad g. iiij. datum laudat.

Excerius in collyriis camphora multis aliis palmam præripit.

Ad calidas oculorum lippitudines collyriis utiliter imponitur Camphora *VVeckerus in antidot*: l. 1.

Reinerus Solenander s. 2. *consil. medicinal. cons.* 8. ad oculi calorem, & dolorem pro viro illustri sequentes trochiscos camphoratos præscribebat:

Recip. *Gummi Arabici, tragac.*
cerussæ lotæ an. ℈ß.
Lap. calamin. Tut: præp. an. ℈j.
⊕ *Romani* ℈ß. *Camphoræ gr.* iij.
Sarcocollæ nutritæ ʒß.
Amyli cort: ovor. pulverisf. ℈j.
Thuris albi gr. viiij.
Cum albumine ovi F. Trochisci.

Horum trochiscorum ocularium recipe 4. vel 5. liga in syndore vel linteo tenui, injice in vitrum effusis aquis rosar. p. iij. fœniculi p. j. quantum visum fuerit, tum adde tantillum sacchari canti, & serva pro usu.

Hoc collyrio oculi sæpius laventur.

Felix Platerus in Praxi med. t. 2. c. 4. Sequentia collyria camphorata habet:

Recip. *mucilagin. sem: psyllii.*
fænugræci an. ℥j.
Tragac. in aq. ros. solut. ℥ß.

album

Album. ovinum. j.

Camphoræ gr. v.

Opii gr. ij. *croci* gr. j.

M. F. Collyrium.

Vel Rec. *cerussæ lotæ* ʒiij.

amyli ʒij.

mucilag. sem. Psyllii.

lini, vel fænugræci an. ℥j.

Camphoræ ℈ij.

aq. rosar. ℥ij.

Lactis,

albuminis ovi an. ʒiſ.

M. F. Collyrium.

Possunt & gran. vj. opii addi, vel cum decocto papav. aut fol. hyoscyam. dilui. Item circa augmentum croci gr. iij. vel iiij. adjici queunt.

Vel Recip. *Tutiæ præpar.* ʒij.

Camphoræ. gr. iiij.

aq. plantag.

calicum rosarum

Fæniculi an. ℥ij.

M. F. Collyrium.

Validius erit, si sumach, vel Lycii ex eo facti ℈i. addatur. In vigore Sacchari canti ʒſ. additur.

Vel Rec. *Sarcocollæ nutritæ* ʒiiij.

Tutæ præpar. ʒij.

aloës ʒjſ.

Sacchari canti ʒiſ.

Caphuræ gr. iiij.

Croci gr. iiij.

aq. rosarum ℥iiij.

M. F. Collyrium in calore, pustulis, ac maculis oculorum applicandum.

In

In prurientibus, & rubicundis oculis.

Recip. *Tutiæ præp.* ʒſ. *aloes, facchari an.* ʒv.
Caphuræ gr. ij.
Vini albi
aq. fæniculi an. ℥ij.
M. F. Collyrium.

In perſeverante diuturnâ epiphorâ, in quâ lacrymarum fluxus, & pruritus cum rubore tantùm citra ardorem moleſtiam præbent, vehementius ſiccantibus cum camphorâ utendum, qualia ſunt ſequentia:

Ut Rec. *Lap. hæmat.*
antimonii lot i an. ʒj.
Tutiæ præpar. ʒij.
Cadmiæ foß. ℈j.
aloës ſoccotrin. ʒij.
Camphoræ ℈j.
oßium myrobal. combuſt. ʒſ.
vini granati. ℥ij.
aq. roſar. ℥iiij.
M. F. Collyrium.

Ut Rec. *Vitrioli albi* ʒij.
Camphoræ ʒſ.
Tutiæ præp. ʒj.
Sacchari canti ʒij.
F. Pulvis miſceatur cum aquis roſar. fænic. verben. Chelidon. cum vino elircicis q. ſ.
F. Collyrium.

Vel Recip. *Vitrioli albi* ʒij.
Camphoræ ʒj.
Tutiæ præp. ʒij.
Zingib.
Caryophyli. an. ʒſ.

Pulverisatis adde vini albi veteris, in quo chalybs ignitus extinctus sit ℥ij. aq. rosar. chelidon. fœnic. an. ℥ii.

Coquantur vel macerentur ad usum.

Sennertus in ophthalmiâ hoc habet repellens camphoratum.

Rec. *mucilagi: sem. psyllij*
cydonicum aqv. ros. & plant. an. ℥j.
album ovi benè conquaß. num. ij.
Camph. gr. vj.

Mista oculis instillentur, & linteis mundis imponantur.

Vel Rec. *Tutiæ Alex.*
Cerussæ an. ℥ſ.
Camphor. ℈j.
mellis virgin. ℥j.
aq. rosar. ℥vj.
euphras.
fl. cyan.
pap. rhæad. an. ℥ſ.
fænicul.
M. F. l. a. Collyrium.

Vel Rec. *aq. rosar.* ℥j.
euphras. ℥ſ.
tutiæ præpar.
sief. albi sine opio an. ℈ſ.
Camphoræ gr. j.

Vel Rec. ⊕ *albi*
tutiæ præparat. an. ℨj.
Camphoræ ℈ſ.

pulverisatæ subtilissimè infundantur in aquâ rosarum pro collyrio.

Crollius in Basil. Chim. suo ophthalmico camphoram quoque admiscet, dicitq; quòd ejus usus sit ad omnes oculorum affectiones, inflammationes, lippitudines, nebulas, fistulas, & similes.

Mentionem etiam facit miri & stupendi ophthalmici è caneris & chelidonio, quod si debito artificio & tempore præparetur, oculos ad desperationem læsos virtuosissimè restituat, & omnia eorum vulnera spario 24. horarũ conglutinet. Modus autem parandi supprimitur.

Hadrianus à Minsicht in suo Thesauro, ac Armamentario medico Chimico, putat, hanc compositionem Crollio fuisse ignotam, quam ideò non addiderit, ipse autem eam ita delineat:

Recip. Cancrorum fluviatil: vivorum mense Junio Sole, & Luna in cancro existentibus Num. XXXI.

Et propondere horum adde tantùm chelidonii cum toto, contunde hæc unâ, quibus adde

Sem. fænic. contusi ℥j.
Fabar. marin. præp.
Camphoræ an. ℥ſ.
Caryophyll.
Aloës hepat.
Tutiæ præp. an. ʒij.

M. & divide in tres partes, primamq; partem in B. M. destilla, deinde partem alteram immitte cucurbitæ, & destillatam illam à parte primâ affunde rursumq; abstrahe, ut primâ vice, tum tertiam quoque partem infer, & aquas antea destillatas omnes iterum superinfunde, adeoq; tertiâ vice destela. Et sic verè præparata est aqua illa de cancris, & chelidonio famosissima. Qui vult ex fecibus calcinatis salem, potest extrahere, & majoris efficaciæ ergò admiscere.

Has de aquâ ophtalmicâ ægris oculis una duæ pluresque

resque guttulæ instillentur, vel illinantur plumâ gallinæ nigræ, idq; bis, ter, quatérve quotidiè, prout necessitas requirit, & continuandum hoc, donec æger sanitati restituatur.

Kunrath hoc habet experimentum camphora permistum.

Recip. *Nihili albi* ℥iiij.
cerussæ.
camphoræ an. ℥ſ.
mellis virgin. ℥j.
aq. chelidon. maj. ℥vij.
parietar. ℥iiij.
M. F. Collyrium.

Vel Recip. Calcis vivæ, & ✱ an. m. cæmenta in crucibulo ad horæ spatium, deinde ex eo fac lixivium cum aq. chelid. maj. filtra per chartam bibulam, stet per noctem in pelvi orichalceâ, & habebis aquam ophthalmicam cæruleam, cui adde camphoræ parum, ac repone pro usu.

Vel Rec. *aquæ glycyrrh.*
lactis human. rec. an. ℥ij.
Camphoræ
croci an. ℈ſ.
M. F. Collyrium.

Vel Rec. *Tutiæ Alexandrinæ præparat.* ℥ij.
Camphoræ ʒſ,
vini Malvatici ℔ſ.
M. Serva pro usu.

CATAPLASMA camphoratum noctu oculis imponendum *Sennertus* in hunc usum præscribit: ut

Recip. *farinæ triticeæ* ℥ij.
lentium
fabarum an. ℥iſ.
terræ sigillatæ ʒij.

rad. sigill. Salomon. ʒij.
Camphoræ ʒj.

Pulverisata misceantur cum aquâ cichorii F. l. a. *Cataplasma.*

UNGVENTA Camphoratâ suâ non carent efficaciâ *Renodæus in Pharmacopæâ* sequens proponit unguentum ophthalmicum:

Recip. *Boli armenæ in aqua rosarum lotæ* ℥ij.
lapidis calaminaris in aq. euphr, loti, tutiæ præparat. an. ʒij.
margaritarum lævigatarum ʒſ.
Camphoræ ℈ſ.
Opii gr. v.
Butyri recent: cum aqua plantaginis sæpiùs abluti ℥v.
M. F. ſ. a. unguentum.

Penotus sequens habet unguentum ophtalmicum camphoratum.

Recip. *Tutiæ præpar.* ʒijſ.
Camphoræ ʒij.
viridis æris gr. xij.

Tutiam cum Camphorâ simul contere in mortario, ac seorsim, omnia verò ad pulveris impalpabilis consistentiam, tum

Recip. *butyri recentis* ℥ij.
aq. rosar. ʒij.

Bulliant leviter simul, & ab igne remotis primum tutiam cum Camphorâ, deinde æs viride sensim immisce, agitato optimè, & in vase vitreo reconde.

F. Unguentum, quod per sericum transcoletur, quo inunge interiores palpebras, præsertim circa angulos.

Lazarus Riverius in observat. communicatis hoc laudat.

Recip.

Recip. *viridis æris* gr. xij.
Camphoræ
lapidis calaminaris an. ʒß.
tuthiæ præp. ʒß.
butyri recentis aquâ rosarum loti ℥ij.
M. F. *Unguentum.*

Pharmacopæa Augustana hæc habet unguenta camphorata ophthalmica, ut

Unguentum Nihili ad oculos.

Recip. *Tutiæ præpar.* ℥ß.
corall. rubr. præp. matr. perl. an. ʒß.
Nihili albi ʒj.
Camphoræ. ʒj.
Pinguedinis Porci non salitæ in vino lotæ ℔j.
M. F. *Unguentum.*

Item Rec. *Butyri recentis* ℥iiij.
Ceræ albissimæ ℥j. *liqua & lava sæpiùs cum aqua rosarum & prunorum*
Tutiæ præp. ℥ij.
Camphoræ ℈ij.
M. F. *Unguentum.*

EMPLASTRA CAMPHORATA

Felix Platerus in ophthalmiâ inter cætera applicanda suadet: Oculo clauso ejusmodi remedia, quæ fluxiones cohibent, nonnunquam apponantur supra palpebras: nam fortia astringentia in oculum immittere, quùm oculum exasperarent; qui lævis, & lubricus esse debet, minimè tutum, veluti hoc est emplastrum; ut,

Recip. *boli albi vel rubri pinguis* ʒiij.
farinæ hordei ʒjß.

Tragacanth. in aq. myrti vel rosarum solut. ℥j.
Camphoræ ʒß.
Cremoris lactis, [*ne induretur siccando*]
succi plantag: q. s. ad subigendum.

F. *Emplastrum*, quod supra pannum dilatatum oculo clauso applicetur.

Vel Rec. *Panis medullæ in lacte maceratæ, & in pultem contusæ, pulpæ pomorum dulcium assorum, farinæ hordei an.* ℥ jß.
mucilag. sem. psyllii
Fænugræc. an. ℥j.
Vitellor ovorum num. ij.
Camphoræ ʒß.
Croci gr. iij.
Opii gr. ij.
Olei rosacei recenti: vel butyri rec. aut cremor. lactis ℥vj.

F. *Emplastrum* aut Cataplasma.

Hoc Cataplasma imponatur oculo clauso. Sunt, qui fronti potiùs applicari volunt, & sic quoque dolorem compescere. Interdum & succi permiscentur refrigerantes, ut portulacæ, vel solani, si magnus sit ardor.

Pinguia (quod cantelæ loco author addit) oculis alias non sunt utilia, hic tamen adduntur, ne aridum factum medicamentum oculum premat.

Ad Τριχίασιν & PEDICULOS CILIORUM Camphoræ oleum prodesse, *Keslerus Cent. 4. operat. Chimic.* meminit.

OCULOS in variolis à symptomatibus periculosis præservat camphora. Testatur hoc *Gregorius Horstius in Epist. medicinal.* Defensionis gratia, ait, cum aliis camphora collyriis ophthalmicis in variolis commodùm miscetur

ſcetur, repellendo oculorum inflammationes præcavens, quod experientiâ propria confirmo.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

USUM CAMPHORÆ IN AVRIVM, NARIUM, DENTIVM, ORIS, ET FAUCIUM AFFECTIONIBUS PERSEQUITUR.

IN AUDITUS DIFFICULTATE

Prodeſt, ſi vel camphora ipſa, vel oleum camphoræ goſſypio involutum in aure geratur. Auditum oleum camphoræ roborare *Khunrath* affirmat.

IN AVRIVM DOLORE.

Solve Camphoram in oleo amygdalarum amararum, & cum goſſypio applica.

IN AVRES SI ANIMALCVLVM QVODDAM IRREPSERIT.

Camphoræ vapor iſtud fugare poterit.

IN NARIUM HÆMORRHAGIA.

Fernelius in Therapeut. l.5.c.17. camphoram cum ſantalis, & aquâ roſarum fronti ac temporibus imponit.

VVeckerus in antidotario: Camphora ſanguinem è naribus profluentem ſiſtit aut cum urticæ ſemine immiſſa, aut ex majoris ſedi, & plantaginis ſucco fronti circumlita.

Khunrath caphuram cum ſucco ſempervivi maj: & plantaginis naribus attrahendam, & oleum interius dandum præcipit.

Hartmannus in Praxi Chimiatr. etiam epithema hepatis regioni imponendum ſuadet ex aq. endiviæ, cichorii, roſarum, nymph. cum fl. roſ. rubr. ſantalo, camphorâ, additis ſem. portul. oxal. cichor. cum pauco aceto.

Sotirella Parva à Minderero olim magni æstimata camphoram recipit, & cavernis dentium indita dolores eorundem sopit, ac placat; compositio talis est.

Recip. *Olei nucis moschatæ expr.* ℥j.
Opii Thebaici.
Specier. diambr. an. ʒß.
Camphoræ
Extracti croci an. gr. vj.
Olei caryophyll. destill. q. s.

Redigantur in formam opiatæ spissioris.

Crollius in Basil. Chim. hoc habet oleum acinodynum Camphoratum.

Recip. *Ol. Caryophyllorum rectif.* ℥ß.
in quo solve ʒß. *Camphoræ, adde sp. Terebinth. quartâ vice rectificati* ℥ß.

M. repone ad usum.

Gutta una vel altera denti dolenti eroso cum gossypio indatur ad dolores sopiendos.

Rulandus Cent. 2. Curat. 3. solum camphoræ oleum gossypio excipiebat dentique dolenti applicabat, dicens, hoc omnem dentium dolorem domare & abolere, & ubi alia remedia in cassum fuerint admota, hoc certè juvamento futurum.

Vel. Rec. *Olei Heraclin: Rul.* ʒj.
camphoræ ʒß.
caryophyll. ℈ß.

M. Applicentur aliquot guttulæ cum gossypio.

Khunrath hoc expertus est in odonthalgiâ cum tumore genarum.

Recip.

Recip. Album ovi, bene agita cum aquâ rosaceâ, adde aluminis, & camphoræ q. s. misce, applica cum gossypio tumenti genæ.

Alibi oleum camphoræ denti dolenti, & gingivis illinendum suadet, mixtum tamen cum ol. Junip. & caryophyllorum.

Vel Rec. *rad. pyrethri pulveris.* ℥ß.
mastich. elect.
opii præpar. an. ℈j.
camphoræ. ℈ß.

M. F. Cum oleo myrrhæ per deliquium l. a. in ovo cocto facto Pilulæ denti dolenti applicandæ.

Oleum Camphoræ cum A. F. paratum in dentium dolore commodo esse, *Schröderus in Pharm.* refert.

AD ORIS ULCERA.

Khunrath Camphoram miscet cum aq. rosarum rubrarum, & plantaginis, & applicat.

AD ORIS ET FAUCIUM ULCERA

Idem: Rec. *vini optimi* ℔ij.
aluminis usti.
viridis æris an. ℥j.
Coque in olla vitreatâ ad tertias
adde camphoræ ʒij.
ulcerâ hac aquâ sæpius mundifica.

ORIS FOETOREM.

Corrigit camphora, si mica ejus dentibus conteratur.

Lætificans Nicolai Præpositi camphorâ mistum idem ab Augustanis præstare dicitur.

AD ANGINAM.

Khunrath: Rec. *camphoræ* ʒj.
Solve in s. V. cochlear. j.

adde aq. parietar.
rosarum.
prunellæ an. ℥j.
croci gr. iij.

Misce cum aquâ fontanâ frigidâ in scutellâ, imbue linteamina duplicata, & applica in superiore parte thoracis prope collum.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

CAMPHORÆ VIRES IN CORDIS AFFECTIBVS DECLARAT.

PRæter vim alexipharmacam & antifebrilem camphora quoque aliis modis cordi succurrit.

CORDIS DOLOREM.

Oleum camphoræ mitigat, ac tollit, teste *Hartmanno in Praxi Chimiatricâ.* Essentiam Camphoræ alexiteriam hac virtute non destitui credimus.

COR ROBORAT.

Camphora spiritus recreando, ac lætificando. *Avicenna.*

Johannes Neander Bremanus in syntagmate de Med. laude, & origine p. 360. ait: Camphora occultâ vi firmat cor & luce quadam spiritus rigat, ita, ut si cyathus aquæ, in quâ caphura nucis avellanæ magnitudine accensa conflagravit exhibeatur cardiacis, statim liberentur.

Camphora si calor p. n. absit, etiam odore cor reficit, & in forma olei datum roborat. *Khunrath.*

Angelus Sala in tract. de peste testatur, camphoram odorem spirare restaurationi cordis & spirituum maximè convenientem.

Keslerus olei camphuræ gutt. j. in vino datam mirè vires recreare confirmat.

Heur-

Heurnius quoque Camphoram cordi robur conciliare affirmat.

IN SYNCOPE AC ANIMI DELIQUIO

Aqua, in quâ camphora conflagravit, prodest. *Heurnius.*

Oleum Camphoræ animi deliquio medetur. *Hartmannus.*

Confectio de hyacyntho in Pharmacopæâ Augustanâ descripta Camphoram recipit, & in lipothymiâ non parum conferre dicitur.

Pulvis pro epithemate cordis apud Augustanos camphoram recipit; miraque ejus efficacia in cordis affectibus ejusque palpitatione, syncope, & dejectis propemodum vitalibus spiritibus esse statuitur.

IN CORDIS PALPITATIONE, AC TREMORE

Camphoram efficacem esse, si in cordis regione gestetur, testatur *Khunrath*, qui quoque oleum ejus magni momenti esse dicit.

Vel Rec. *camphoram*
crocum ana. q. v.

M. cum butyro non salito, aut unguento pomato, aut oleo rosaceo, ac illine regionem cordis, ac propina aliquot gut. ol. camph. in aqua borrag. vel bugloss.

Laetificans Galeni in V. A. falsò *Galeno* ascriptum [*Galenus* enim Camphoram non novit] ac *Nicolao* Præposito potius tribuendum camphoram recipit, ac in cordis palpitatione plurimum prodesse dicitur.

Vel Rec. *olei amygdal. dulc.* ℥ ij.
citri ʒj.
camphora ʒß.

M. solve, ac serva pro usu.

S. *Essentia Camphoræ cordialis*,
Dosis gutt. 4. vel 5. in aquâ rosarum, borrag. vel bugloss.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

CAMPHORÆ VIM IN AFFECTIBUS PULMONUM, AC THORACIS TRADIT.

IN SANGUINIS SPUTO.

Rondeletius in sputo cruento ab acri materiâ excitato caphuræ scriptulum ex cyatho aquæ de citernâ cum modico aceto propinabat.

Heurnius l. 2. meth. ad praxin oleum camphoræ cum aqua buglossi in simili casu extollit. Idem sentit *Khunrath*.

Vel Recip. *corall. rubr.*
margarit. præpar. an. ʃ.
gummi Arab.
Tragacanth. an. ℈ʃ.
camphoræ ℈ʃ.
M. F. Pulvis.

Dosis ℈j. in decocto, vel aquâ bursæ pastoris, vel tormentillæ.

In tali casu *Riverius* quoque epithema camphoratum hypochondrio dextro admovendum suadet, ut

Recip. *aq. rosarum.*
plantag.
cichor. an. ℥iiij.
aceti rosacei ℥ij.

pulv.

pulv. elect. diatrion sant: ℥ij ſ.
Camphoræ ℈j.
M. F. Epithema.

Lumbi etiam, ac ſpina dorſi illinantur oleo roſaceo, & nymphææ, addendo parum camphoræ.

IN PHTHISI.

Meſuæ trochiſcos ſuos de camphorâ laudat. Imprimis autem Camphora prodeſt, ſi phthiſis ſit à ruptione vaſorum, & ſpuitione cruentâ.

Oleum Camphoræ in phthiſi remedium aptiſſimum, *Khunrath.*

Ex uſu etiam erit camphora in balſamo ſulphuris cum ol. amygdalarum dulcium ſoluta, imprimis ſi detur in decocto plantarum antiphthiſicarum.

Diatragacanthum frigidum Nicolai camphoram admixtam habet, ac in tabe, cæteriſq; pulmonum vitiis multum juvat, ut:

Recip. *Tragac. candidi* ℥ij.
gummi Arabici ℥j. ʒj.
amyli ℥ſ.
glycyrrh. ſem. 4. frig. maj. an. ʒij.
papav. albi ʒiij.
Penidiorum ʒiij.
Camphoræ. ℈ſ.
M. D.

Compoſitio diarhodon Abbatis in P. A. camphoram quoq; recipit, ac in phthiſi præſcribitur.

Vel Rec. *fl. ♀ritè parat.* ʒi.
hepat. lupi præp. ℥ſ.
perl. oriental.
corall. præpar. an. ʒj.

boli oriental.

Camphoræ. ℈j.

M. Detur in decoctis convenientibus.

IN ASTHMATE

Keslerus oleum Camphoræ laudat. *Khunrath.* quoq; huic oleo hanc vim tribuit, imprimis si cum oleo fœniculi, vel coriandri misceatur.

Vel Rec. *essentiæ Camph. alexiter.* ʒi.

Bals. 🜍 *cum oleo fænic. facti* ʒi.

Fl. Benz: ℈ſ.

M. D. in vitro.

Dosis gutt. iiij. vel v. in convenienti vehiculo.

Trochisci Aliptæ moschatæ Nicolai in P. A. camphoram recipiunt, ac conferunt infantibus, ac puerulis asthmaticis, ac pectoris angustiâ, vel anhelitûs difficultate pressis.

IN TUSSI, FAUCIUM ASPERITATE, ET RAUCEDINE.

Prodest *Diapenidion Nicolai* camphorâ mixtum. Videatur P. A.

Diatragacanthum frigidum, camphorâ temperatum, tussim, ac faucium asperitatem mitigat.

Oleum camphoræ cum oleo saccharino, vel, Sir. violarum in decocto glycyrrhizæ datum suâ non caret virtute.

IN PLEURITIDE, ET PERIPNEUMONIA.

Commendatur Diapenidion Nicolai camphorâ permistum apud Augustanos.

Diatragacanthum frigidum, de quo antea dictum, huc quoque referendum.

Oleum camphoræ laterum inflammationi lenimentum ferre, *VVeckerus in antidot.* l. 2. scribit.

Khunrath idem oleum cum antimonii oleo mixtum magni momenti in pleuritide esse commemorat.

Magna-

Magnarum virium eſt Tinctura antipleuritica ſupra propoſita, ſi detur ad ℈ſ. vel ℈i. in aq. fl. ſambuci, vel papav. rhæad.

Angelus Sala exterius quoque ad dolorem laterum camphoram præſcribit, ut:

Recip. *Mucilag. ex ſem. cydon. cum aq. roſar. extr.* ℥iiii.
aceti roſar. ℥ii.
olei roſar. ℥iſ.
Boli armen. ℈ii.
ſantali rubr. pulveriſ. ʒi.
Camphoræ ℈i.

M. hoc duplicatum linteum imbuatur, & tepidè parti affectæ applicetur.

Vel Rec. *Rad. alth. lil. alb. an.* ℥ij.
fol. malv. viol. pariet. an. mj.
ſem. lini, fœnugr. an. ℥ij.
fl. chamæm. melil. Samb. an. p. j.

Pulveriſentur, & cum lacte coquantur ad formam pultis, ſeu Cataplaſmatis, cui adde camphoræ ʒj. Applicetur tepidè.

CAPUT DECIMUM NONUM.

CAMPHORÆ VIRES IN HEPATIS AC LIENIS AFFECTIBUS RIMATUR.

AD INTEMPERIEM HEPATIS AC LIENIS.

Meſuæ ſuos trochiſcos de camphorâ laudat.

Sylvius l. 1. de medicam. ſimpl. Camphorâ phlegmonis præſertim jecoris juvat.

VVeckerus in antidot: Camphora incandescentes inflammationes, imprimis jecoris restituit.

Khunrath Camphora medetur hepatis, ac renum inflammationi.

Trochisci diarhodon Nicolai camphorâ mixti jecinorosis prosunt. *P. A.*

Species diarhodon Abbatis camphoram recipiunt, & jecur roborant.

Hartmannus in Praxi Chym: Oleum camphoræ ad omnes membrorum inflammationes cùm exteriùs, tùm interiùs encomio dignatur.

Exterius quoque in hepatis inflammatione camphora suâ non caret virtute. Ceratum Santalinum Mesuæ, quod camphoram recipit, hîc prodest.

Lazarus Riverius hoc habet Epithema camphoratum. Rec. *aq. Endiviæ, plantag.*
cichorii, rosarum.
acetos. an. ℥iii.
aceti rosar: ℥i.
Pulv. elect. diasantal. ʒiß.
Camphoræ ℈i.

M. F. *Epithema* sæpiùs tepidè hepatis regioni applicandum.

Vel Rec. *fol. endiv, cichor.*
scariol. plantag.
bugloß. borrag.
fl. nymph. an. mi.
Comarum absinth. mß.
rosarum rubr: pii.
santal. rubr. & citr: an. ʒii.

Coq.

Coq. ad ℔ iſ. adde aq. roſar. ℔ iſ.
Camphoræ ℥ i.
M. F. *Epithema.*

OBSTRVCTIONES HEPATIS Oleum camphoræ liberat, *Keslerus.*

AD ICTERVM

Valent ſpecies diarhodon Abbatis camphora permixtæ.

Trochiſci de camphorâ *Meſuæ* apud Auguſtanos proſunt.

Mixtura ſimplex camphorata in decoctis ſpecificis folliculum felleum obſtructum reſerare poterit.

IN HYDROPE.

Khunrath oleo Camphoræ multum tribuit, præmittantur tamen purgantia convenientia.

Keslerus hanc virtutem olei Camphoræ ſuo teſtimonio confirmat.

IN SCORBUTO.

Camphora, vel oleum ejus antiſcorbuticis mixtum ſuas oſtendit vires.

DOLORES HYPOCHONDRIORUM PUNGITIVOS

Mitigat ſpiritus Camphoræ per ſpiritum vini paratus *Khunrath.*

CAPUT VIGESIMUM.

USUM CAMPHORÆ IN AFFECTIBUS VENTRICVLI ET INTESTINORUM INDAGAT.

IN INTEMPERIE VENTRICULI CALIDA.

Meſuæ ſuos trohiſcos de Camphorâ deprædicat.

 Cera-

Ceratum santalinum Camphoratum regioni ventriculi admotum commodo est.

IN CARDIALGIA.

Quercetanus in Pestis Alex. p. 309. laudat suum Extractum Cardiacum minus, quod Camphoram habet adjunctum.

Oleum Camphoræ quoque præstans in hoc affectu experti fuimus.

IN VOMITU.

Camphora naribus frequenter admota, vel illita, atque etiam sumpta cum pauca aquâ rosarum, & tantillo pulveris diamoschi efficax est, teste *Riverio in Praxi med. cap. de vomitu.*

Composito Pleres Archonticon apud Augustanos dicta Camphorâ mixta est, & cibum vomentibus prodesse dicitur.

Trochisci Aliptæ Moschatæ camphoratæ sunt, & vomitiones à lacte corrupto in infantibus compescunt.

IN SANGUINIS VOMITU.

Rondeletius in consiliis camphoram ad ℈ſ. cum oxycrato, vel aq. plantag ʒ iiij. exhibendam tanquam præstantissimum remedium proponit.

Khunrath oleum Camphoræ sanguinem vomenti opem fere dicit.

Riverius in tali casu sequens unguentum Camphoratum applicandum suadet.

Recip. *Succi plantag. centumnod. an.* ʒiſ.
aceti rosar. ℥i.
Olei omphac. ℥vi.

Bulliant ad succorum consumptionem.

Adde *Sangv. dracon.*
mastich. cort. granat.

myr-

myrtill. an. ℈ii.
Camphoræ ℈i.
M. F. *Unguentum.*

SITIM.

Extinguit oleum Camphoræ *Khunrath.*

IN DOLORE COLICO.

Hartmannus in Praxi Chimiatr. oleum Camphoræ prodesse dicit.

Keslerus Cent. 4. Operat Chirurgicar: Calculum suum addit, aceandem virtutem huic oleo tribuit.

Essentia Camphoræ anticolica supra cap. 11. delineata ad idem malum efficax. Oleum camphoræ umbilico illitum dolores ventris lenit, *Keslerus.*

Si oleum Camphoræ addideris oleo nucis moschatæ expresso, virtutem experiere laudabiliorem.

IN HYPERCATHARSI AC TORMINIBUS VENTRIS

A purgantibus fortioribus, & noxiis, ut esulâ, colocynthide, helleboro, ac similibus *Keslerus* l. c. Oleum camphoræ medelam ferre testatur.

IN DYSENTERIA

Khunrath oleum camphoræ remedio esse confirmat.

Trochisci Diarhodon Nicolai camphorati in P. A. hic quoque prodesse dicuntur.

IN DIARRHOEA.

Quod camphora emolumento sit, testis est *Avicenna* 3. l. tract. 2. c. 10.

LUMBRICOS.

Necat; ac expellit? oleum Caphuræ, *Khunrath.* Si ejus guttulæ 2. vel 3. cum gutt. 3. Sp. ⊖. in aquâ Tanaceti dentur, feliciori cum successu hi hospites diversorio suo ejiciuntur.

AD

AD HÆMORRHOIDES NIMIS FLUENTES.

Recip. *Rad. tormentill. serpentar. an.* ℥ſ.
cinam. galang. caryophyll. an. ʒſ.
Pulverisa, & coq. in vino,
adde Camphoræ ʒi.

Bibe de hac mixturâ mane, & vesperi. *Khunrath.*

CAPUT VIGESIMVM PRIMUM.

CAMPHORÆ VIRES IN AFFECTIBUS RENUM, VESICÆ, UTERI AC PARTIUM GENITALIUM IN MARIBUS PROFERT.

IN INFLAMMATIONE, AC APOSTEMATE RENUM.

OLeum Camphoræ excellens remedium. *Khunrath.* Exterius Emplastrum de sperniolâ camphoratum in renum rem erit.

Vnguentum camphoratum album, & rubrum quoque non inutile erit.

IN CALCVLO RENVM.

Quercetanus in Consil. de Nephritide circa finem olei camphoræ meminit, eique vim calculum pellendi inesse affirmat.

Khunrath oleum camphoræ in dolore, & sabulo renum efficax remedium esse confirmat.

Libavius tom. 1. Syntagm. arcan. Alchym. l. 8. c. 19: & *Keslerus Cent. 4. oparat. Chim.* idem attestantur.

IN VULNERIBVS RENVM.

Oleum Caphuræ opem ferre *Keslerus l. c.* affirmat.

IN ARDORE VRINÆ.

Locum habet idem oleum *Khunrath.* Si oleum amygdalarum dulcium admiscueris, efficacius erit.

IN

IN DYSVRIA.

Prodest oleum camphoræ cum aliquot gutt. Sp. ∂. seu spiritus aperitivi *Penoti* exhibitum.

IN VESICÆ INFLAMMATIONE.

Oleum Camphoræ suis non destituitur viribus. *Khunrath.*

IN VTERI DOLORIBVS.

Oleum Caphuræ remedio esse, *Kellerus* testis est.

IN VTERI PROCIDENTIA.

Philonium Persicum Mesuæ camphora mixtum commendatur.

IN NIMIO MENSIVM FLVXV

Oleum Caphuræ convenientissimum remedium est. *Khunrath.*

Philonium Persicum Camphoratum ad omnes uteri hæmorrhagias egregiam virtutem habere, Augustani testantur.

IN VTERI SVFFOCATIONE.

Præstantissima est essentia camphoræ alexiteria supra descripta. Videatur *Tenzelius*, & *Schroderus in Pharm.*

Essentia camphoræ uterina supra descripta ejusdem est efficaciæ.

Aqua melissæ vel chamæmeli, in qua camphora extincta, eandem obtinet vim. *Aëtius.*

IN FLVORE ALBO.

Oleum Caphuræ datum auxilio est. *Khunrath.* & *VVeckerus in antidotar. 1.* Vel misce camphoram cum succino, quantum cuspide cultelli capi potest una, pulverisa, & propina in aqua nymphæa. *VVeckerus.*

Caphura ad albas vulvæ fluxiones efficax. *Fernelius l.6.Therapeut. cap. 1.*

Sistit oleum camphuræ *Khunrath.* Oleum camphoræ sublimatione factum etiam inveteratam gonorrhæam sanat. *Idem.*

Camphora cum succino in aquâ nymphææ data gonorrhæam tollit. Idem etiam præstat pubi, seu imò ventri testibus, renibusque illita, quæ tamen antea psyllii seminis spissmamento aut omphacio, aut solani succo probè sit macerata *VVeckerus in antidot.*

IN PRIAPISMO AC SATYRIASI.

Idem oleum remedio est. *Khunrath.*

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

AN CAMPHORA VENEREM EXTINGUAT, INQUIRIT.

CAmphoram venerem extinguere, testatur *Avicenna* l. 2. tr. 22. c. 133. quando ait: camphora seminaria vasa refrigerat, semen cogit, ac inspissat, & sic abscindit coitum. Quarè testibus & lumbis illita veneris stimulos coërcet, & extinguit. Huic sententiæ subscribere videmus quam plurimos.

Cardanus camphoram adeò potentem in sopiendâ libidine esse, scribit, ut etiam in sinu virginum gestata juvenes ad venerem reddat impotentes.

Quidam eam solo odore castitatem promovere dicunt. Hinc tritum istud, *Camphora per nares castrat odore mares*

Vulgus etiam in hujus rei notitiam venit, hinc quidam suibus sine castratione saginandis unam atque alteram drachmam camphoræ devorandam offerunt, & ita libidinem exstinguunt.

Scaliger exercit. 104. expressis contra dicit: extingui venerem caphurâ ait, esse verum pro certo habemus. Coivit enim validissimè juvenis, qui ipsam in manu habuit. Cani leporariæ, quæ catuliebat, in potu dedi, in offa dedi, in nares dedi, quo refrigesceret, & quotidiè collo appendi, in naturam quoque indi jussum est. Frustra omnia: coivit, concepit, peperit.

Verum hoc *Scaligeri* experimentum de cane nihil probare videtur. Non enim sequitur: camphora non potuit venerem exstinguere in cane, ergò quoque non poterit in homine. Plurima certè cùm canis, tùm alia bruta innoxiè devorant, quæ homo nequit.

Sturnus certè cicutam, coturnix veratrum, ciconia bufones, cervus & pavo vivos serpentes sine ullo detrimento comedunt, sed non item homo. Nimirum quas vires habent quædam medicamenta in homine, easdem non simili modo habent in hoc, vel illo bruto, & vice versâ. Quod attinet experimentum de juvene, qui camphoram in manu tenens tamen coivit, insufficiens est probatio. Solo enim odore camphoram talem habere effectum, ut quidam voluêre, non facile crediderim.

Interius autem in majori dosi datam camphoram castrare appetitum venereum, libidinemque sepelire, *Rhases l. 4. continent: tr. 3. cap. 11.* exemplo probat: Phlegmaticus quidam vir, sumpsit ter in potu in quindecim diebus aurei pondus sex de camphora, & eâ incisa fuit ipsius luxuries penitus, tamen debilitatus est stomachus ipsius, ita, ut digerererur cibarium ipsius per menses, deinde correpta fuit ipsius complexio, & aliud malum præter hoc non fuit passus, sed deinde curatus est cum calidis.

Qualibet itaque vice sumpsit de camphora aureos duos i.e. scrupulos octo, ut vult *Zacutus* l. 3. de *med. Princ. hist.* 10.

Camphora itaque solummodo in majori dosi, & aliquoties data venereos coercet stimulos, non autem in minori; quâ potius cor & vires totius corporis roborat, aliasque egregias virtutes possidet.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

USUM CAMPHORÆ IN ARTHRITIDE, DOLORIBUS ARTUUM vagis, & erysipelate indicat.

IN ARTHRITIDE ET PODAGRA

OLeum camphoræ datum multum prodest. *Keslerus*.

Si in decocto Chamædryos istud offeras, feliciori eventu curatio beabitur.

SÆVIS MEMBRORUM DOLORIBUS.

è defluxionibus ortis idem oleum medetur. K*hunrad*.

Essentia Camphoræ Alexiteria, ut & mixtura simplex, præmissis prius universalibus locum quoque habere potest.

Exterius adhibita Camphora dolores podagricos lenit:

Recip. *Camphoræ* ℥j.
Nitri ß.
albuminis ovi Num. ij.
S. V. opt. ℔j.

Omnia terendo bene misce, & cum linteo triplicato sæpius applica. K*hunrath*.

Recip. *Pulv. rosar. rubr.* ʒiij.
Mastiches ʒij.

Cam-

Camphoræ ℥ſ.
farinæ hordei ℔ſ.

Coq. in vino albo, continuò agitando, donec inſpiſſetur, & calidè applicetur. *Riverius. in pr. med. cap. de arthrit.*

Vel Rec. *Emplaſtri diapalmæ* ℔ſ.
Camphoræ ℥ij.
M. applicetur parti affectæ.
Idem *Riverius.*

Sennertus in tract. de arthrit. ſequens cataplaſma in principio tanquam repellens adhibet:

Recip. *aq. ſperm. ran.* ℥iiij.
ſolani.
ſi Sambuci
Plantag. an. ℥ij.
Camphoræ ℈ſ.
M. Sæpiùs applica.

Oleum camphoræ cum Saccharo factum omnes dolores potenter lenit. *Khunrad.*

ERYSIPELAS.

Fernelius l. 6. c. 1. *in Therapeut.* Camphora phlegmonas, & eryſipelata refrigerando mirè juvat.

VVeckerus in antidot. l. 1. p. 383. Camphora ulcerum inflammationes, & eryſipelas extinguit.

Mixtura ſimplex cum aq. florum Sambuci cum fructu ad ſudoris evocationem dari poteſt.

EXTERIUS

Inter epithemata camphora non ultimum habet locum.

Sennertus cap. de eryſipelate lib. de febribus hoc habet:

Recip. *lixivii facti ex cineribus fagi* ℔ iiij.
album. ovorum. iij.
camphoræ ℥ij.

His mistis linei panni mundi imbuantur, & in umbrâ exsiccentur, ejusque unus ad ignem calefactus parti applicetur, atque per diem ter, aut quater mutetur.

Quod si admodum urgeat inflammatio, *Gregorius Horstius* sequens imponendum suadet, ut:

Recip. *Olibani, myrrhæ an.* ℥ß.
Camphoræ ʒij.
Croci ℥ß.
Aceti
vini an. ℔j.

Coque tecto vase, in quo postea linteamina humectentur, & apponantur.

Unguentum camphoratum album & rubrum, ut & de liquiritiâ in P. A. cum fructu quoque potest adhiberi.

Trochiscos de Sulphure, & tutiâ Camphora ingreditur, qui erysipelati quoque medentur. P. A.

CAPUT VIGESIMUM QVARTUM.

VIRES CAMPHORÆ IN GUTTA ROSACEA FACIEI AC cutis vitiis aliis depromit.

AD GUTTAM ROSACEAM.

Quidam camphoram cum aquâ liliorum alborum & tiliæ commendant.

Khunrath oleum camphoræ illinendum suadet.

Vel Rec: *aq. lil. alborum.*
flor. fabar.
primulæ veris an. ℥j.
Sacchar. ♄. ʒß.
Camphoræ ℈j.
M. & sæpiùs applica.

Cen-

Sennertus l. 5. Med. Pract. p. l. cap. 31. ſequentibus aquis camphoratis ſingulares vires tribuit:

Recip. *Rad. ſigill. ſalomon.* ℥iij.
fl. Sambuci, lil. conval. an. ʒvj.
♀ *albi* ℥iſ. *vini opt.* ℔ iiij.
Camphoræ ʒiij.

Stent in infuſione in vitro diebus X. poſtea deſtillentur. F. Aqua.

Vel Rec. *farinæ tritici* q. v.
lactis caprini ℔ii.

F. Maſſa, è qua coquatur panis in furno, qui iterum maceretur in lacte caprino hor: 12.

Poſtea adde *album ovor.* num. xx.
Camphoræ ℥i.
aluminis uſti ℥ii.

Deſtillentur F. Aqua.

Vel Rec. *fragorum* ℔i.
lactis caprini ℔ ii.
album. ovorum num. xx.
ſem. cydon. ℥ii.
camphoræ ʒii.
aluminis. ♆ *an.* ℥ſ.

Deſtillentur F. Aqua.

Vel applicentur mixturæ ſequentes:

Recip. ☿ ʒii. ⊖ *commun. Camphoræ an.* ʒ i ſ.
Ceruſſæ, lithargyyr. argent. ʒii.
Pulveriſata miſce diligenter, adde
aq. flor. fabar. roſar.
lilior. albor.
ſigilli ſalomon. an. ℥ii.

M. applicetur.

Vel

Vel Rec. *Camphoræ* ʒi.
Affunde sensim in mortario agitando ol. amygdal. dulc. ℥iii.
Postea affunde ol. ♀ *per deliq.* ℥ii.
vitell. ovor: num. ii.
Misce & applica.

Vel Rec. ♆ *vivi* ℥ *thuris elect.* ʒiii.
myrrhæ ʒii- *Camphoræ* ℥i.
cerussæ.
Pulverisentur subtilissime, & adde aq. rosar. ℔i. *M.*

Sub introitum in lectum facies eo illinatur, & mane aquâ infusionis furfurum abluatur.

AD ALIAS FACIEI MACVLAS

Khunrath solvit camphoram in oleo sambucino, & salarmoniacum in aquâ rosarum, quod sal solutum iterum exsiccat, & pulverisatum miscet cum camphora soluta maculasque ita inungit.

NITOR FACIEI.

Circumlitionibus imponitur camphora ad cutis nitorem canciliandum. *VVeckerus in antidotar l. 1. p. 383.*

Camphora cutis nitorem conciliat. *Khunrath.* Aqua lithargyrii in P. A. camphoram recipit, & est consinetica. *Sennertus l. 5. Med. Pract. p. 3. s. 1. c. 4.* camphoram inter medicamenta Cosmetica refert.

Modum utendi addit; ut:

Recip. *fl. Sambuci fabarum, part. æqual.*

Affunde lac caprinum & cola, stent in loco frigido per cactiduum; postea destillentur. In usu Recipe fabas excortiotas, redigantur in pollinem, & aquæ dictæ immergantur;

gantur? hac aquâ postea facies abluatur ac per se exsiccari sinatur. Tandem dissolve camphoram in S. V. & misce cum aquâ sambuci, & aquâ istâ facies abluatur.

LISHENES, ET IMPETIGINEM

Camphora sanat *Khunrath*.

Vel Recip. *Sulphuris vivi*
camphoræ
Tragacanthi an. ℥i.
Tutiæ præparat. ʒſ.

Cum infusione tragacanthi ex aquâ rosarum facta q. ſ.
F. *Throchisci*.

Qui cum aqua appropriata soluti, & adhibiti sanant impetiginem, herpetem, & varia faciei vitia. P. A.

Sennertus l.5. Med. Pract. p. 1. cap. 30. sequentem aquam camphoratam laudat:

Recip. *Sulphuris vivi.* ℥i.
thuris, myrrhæ an. ʒii.
Camphoræ ʒi.
Singulis subtilissimè tritis adde
borracis ℈j. *aq. rosar.* ℔ij.
M. destillentur.

Cardanus hanc habet aquam:

Recip. *Chalcanti* ℥iiij.
Halinitri ℥iij.
Scobis chalybis ℥j.
Camphoræ ʒſ.
M. Destillentur.

Sennertus hoc linimentum camphoratum l. 5. med. pract. præscribit:

Recip. *lithargyr, aceto rosar. dilut.*
rad. lil. alor. an. ʒij.

 ol. ro-

ol. rosar. ℥ii.
farin. fabar. ℥i.
succi limon. ʒii.
Camphoræ gr. iiij.
M. F. Linimentum.

AD FISSURAS LABIORUM AC MANUUM

Keslerus oleum camphoræ præscribit.

Vel Rec. *Unguenti Pomati* ʒß.
ol. vitell. ovor. ʒß.
Camphoræ ℈j.
M. eoq; fissuræ sæpiùs inungentur.

CAPUT VIGESIMUM QVINTUM.

VIRES CAMPHORÆ IN TUMORIBUS EXTERNIS, MACULIS LIVIDIS, membris contusis, vulneribus, cancro, gangrænâ ambustis, & similibus exponit.

AD TUMORES CALIDOS

A causis internis ortos præstans est emplastrum de sperniola camphoratum.

AD SUDAMINA,

Quæ sunt tubercula pruriginosa *Sennertus* l. 5. *Med. Pract. p. 11. cap. 24.* hoc habet linimentum camphoratum:

Recip. *ol. violar.*
rosar. nymph. an. q.ß.
succi limonum ℥iij.
lithargyrii ℥j.

Cerussæ

Cerussæ ʒß.
Camphoræ ʒi.
Agitentur in mortario.
F. Linimentum.

AD MEMBRA CONTUSA ET MACULAS LIVIDAS.

Oleum Camphoræ illitum utile. *Khunrath.*

Essentia camphoræ alexiteria supra descripta eadem virtute pollet.

VULNERA RECENTIA.

Oleum camphoræ cum A. F. paratum sanat, & absque fili ope conglutinat, modo cum turundis vel emplastris applicetur *Khunrath.*

Ad vulnera recentia ol. camphoræ salubre. *Kellerus.*

Emplastrum sticticum *Crollii* camphoram recipit, ejusq; vires ad omnia vulnera sunt insignes.

Emplastrum nigrum in P. A. à camphora quoque suas habet vires, ac idem præstat.

VULNERUM INFLAMMATIONES.

Camphora illita extinguit. *VVecnerus in antidotar. l. 1.*

Emplastrum de sperniolâ camphoratum in tali casu magnarum est virium.

ULCERIBUS MALIGNIS.

Expurgandis curandisque extrinsecus oleum camphoræ cum oleo caryophyllorum, aut baccarum Juniperi utiliter adhibetur. *Andernacus.*

Prodest hîc quoque unguentum de succis arantii camphoram recipiens. P. A.

ULCERA ANTIQVA.

Oleum camphoræ purificat, & sanat *Khunrath.*

Ulcera insanabilia, & pustulas lividas idem oleum feliciter sanat. *Hartmannus.*

AD CANCRUM ET ULCERA MANANTIA ANTIQUA.

Oleum camphoræ cum A. F. paratum generosum remedium *Khunrath.*

IN GANGRÆNA ET SPHACELO

Oleum camphoræ præstantissimum remedium, si linteola eo imbuta imponantur: brevi ita caro emortua separabitur. *Khunrath.*

Augustani hic quoque commendant Vnguentum Ægyptiacum compositum magistrale, quod caphuram recipit.

In tali casu Camphora etiam internè locum habet. Testatur hoc *Hyldanus in Obs. Chir.* quando ait: Camphora non solum vapores, qui ex corrupto, & putrefacto membro versus cor ascendunt, repellit; verùm etiam maximum illum calorem partium internarum temperat. Sequenti autem modo miscet & adhibet, ut:

Recip. *Theriacæ opt.* ℨii.
C. C. usti præp. ℨß.
simpi do succo citri ℥ß.
Trochisc. de Camph. ℨß.
M. Cum aq. cardui benedicti F. Pactiv.

AD VENENOSORUM ANIMALIUM ICTUS.

Commodè antidotis admiscetur, quæ contra venena, & venenosorum animalium ictus conficiuntur. *VVeckerus in antidotario.*

AMBUSTIS MEMBRIS.

Imposita camphora nivis frigiditatem refert, & nonnihil levaminis ferre solet. *Garcias.*

Oleum camphoræ partibus inflammatis, & ambustis cum fructu imponitur. *Khunrath.*

Sequens ungentum ad ambusta *Khunrath* etiam habet

Recip.

Recip. *Ceræ albæ* ℥ß.
ol. olivarum ℥iß.
Cerussæ ℥iß.
Camphoræ ℥i.
album. ovi ℥iß. *num.* ij.

Ceram & oleum olivarum leni igne solve, cætera deinde admisce sine igne F. Vnguentum.

AD CICATRICES A VULNERIBUS RELICTIS.

Recip. *Camphoræ* p. j.
Sulphuris p. ij.

Contunde, misce cum aqua florum fabarum, & sæpius applica.

Emplastrum griseum de lapide calaminari, ut & unguentum citrium camphoram adjunctam habent ulcera explent, siccant, & cicatrices claudunt.

CARNIS REGENERATIONEM PROMOVET.

Vt caro regeneretur, & ossa denudata iterum tegantur, oleum camphoræ illitum præstat *Khunrath.*

Ceratum sparadrappum VVigonis camphorâ mixtum in P. A. fluxiones quacunque corporis parte irruentes intercipit, & ad locum affectum devolvi vetat.

AD MEMBRA PERVSTA GELV

Camphora prodest, ut:

Recip. *Pingued. cato sylv.*
Sevi cervini.
olei laurini
ceræ novæ an. ℥ß.
Liquefiant, adde
Camphoræ ʒi *in S. V. solutæ.*

M. F. Unguentum. P. A.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM

CAUTELAS IN CAMPHORA EXHIBENDA ADDIT.

ETiam optima medicamenta intempestivè data nocent. Quòd hoc ita se habeat, camphora aliàs in omnibus fere affectibus utilis attestatur. Ea enim non temerè danda.

1. *Quibus ventriculus languet. Crato l. 1. Consiliorum* 28. ait: Camphoram in imbecillitate ventriculi plurimum obesse scimus.

Rhases l. 24. *continent*, ut capite 22. dictum, hoc attestatur, ubi Plegmaticus quidam lasciviam camphorâ resecturus in ventriculi imbecillitatem occidit, totaque ejus complexio mutata fuit.

2. *Quibus Caput debile*, cautè quoque caphuram in usum trahant. Ea enim crebrius adhibita caput gravat, monente *Sennerto l. 1. med. Pract. c. 1.* Imprimis autem, si caput laborat intemperie calida & sicca, & ubi vigiliæ urgent, *Camphora*, ait idem *Sennertus l. 1. med. Pract. C. 11. quia siccat, & vigilias inducit vel omittatur, vel cautè adhibeatur.* Imò Camphora liberalius exterius capiti illita nervosum genus lædere videtur. Exemplum hac de re habemus apud *Ludovicum Hornicéum medicum Francofurtensem ad Manum in Epistola ad Horstium*: Fœmina quædam, ait, in leprosorio, æstu febrili, circa supremum ventrem vehementer agitata vano vanæ aniculæ suasu faciem aquâ rosaceâ (si rectè memini) cui bona pars camphoræ adjecta erat, lavit; quo facto paulò post vocem omninò amisit, & tantum non penitus suffocata est.

Quod in magnis capitis & ventriculi doloribus cautè camphorâ utendum, monuit quoque *Mindererus*.

Crato l. 1. consol. 28. camphoram in capitis imbecillitate & maximè epilepticis plurimum obesse, scribit.

Et

3. Et hinc camphora senibus, utpote cerebrum ac nervosum genus debile habentibus, & plerumque ventriculi imbecillitate laborantibus, summâ cum cautione danda.

4. Iis quoque non danda, qui odorem ejus ferre nequeunt, & naturâ aversantur. Novimus matronam nobilem, quæ camphoræ odorem sine animi deliquio tolerare non poterat.

Sennertus l. de pestilentia c. 6. idem monet, quando ait: in camphora, & camphoratis exhibendis naturarum constitutio consideranda. Qui enim infirmo sunt ventriculo, & capite, aut qui alias camphoram aversantur, iis alia potius, quam camphora medicamenta sunt exhibenda. In tantâ enim medicamentorum copiâ non opus est, nec necessarium, ut uni medicamento astringamur, imò medicamenta variare utile est.

5. *Olfactum camphoram lædere, Bartholinus Cent. 4. hist. 91.* exemplo illustrat: Pharmacopæus Nicopiensis, vir industrius, & artis suæ peritus, Christophorus Heerfard, de se mihi nuper referebat, ait, â nimio camphoræ usu in officinis præparato & contrectato, olfactum sibi prorsus esse læsum ac ablatum, ut sensu hoc necessario carere exinde debuerit, reliquis sensibus ad artis suæ, & vitæ commodum salvis integrisq;. Nempe molles sunt nervi olfactorii, facileq; exsiccantur, vel prorsus diffluunt, quod aliàs observatũ. Verùm forsan aliæ fuere caussæ, Pharmacopæo ignotæ. Camphoram enim spiritus animales, & vitales potius corroborare, supra fuit demonstratum.

Khunrad affirmat, se â perito Chirurgo edoctum esse, camphoram in vulneribus â contusione ortis, ut & ad ambusta minimè convenire, quùm ferè nitri naturam imitetur. Existimamus autem, hoc solummodo verum esse de nimiâ quantitate camphoræ linimentis, & emplastris additâ, non de mediocri.

Idem

Idem dicit, Camphoræ nimium uſum nocere re-
& veſicæ, canitiemq; accedere. Unde tandem

7. Notandum, nimiam quantitatem Camphoræ una vice rarò tutò ſumi poſſe.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

USUM CAMPHORÆ IN REBUS ALIIS ADJICIT.

Camphoræ uſus in aliis quoq; rebus eſt frequentiſſimus.

Quibusdam rebus additur, ut eas à putredine præſervet.

Caphura, ait *Levinus Lemnius* lib. 2. *de occultis naturæ miraculis cap.* 52 aquæ cœleſti commixta, illam à putredine tuetur, ac præſervat odoris fragrantia.

Serpentes ac omnis generis vermes fugat Camphora. *Khunrad.*

Ignibus artificialibus inſervit camphora, & quùm alii flāmam vel ruffam, vel flaveſcentem exhibeant, de caphura parati ignes candidiſſimam eamque aſpectu jucundiſſimam offerunt.

Ruſcellus Lapidem camphoratum ignem frictione, ſeu attritione reddentem deſcribit, ut:

Recip. *Storacis calamitæ.*
Sulphuris, calcis vivæ.
Picis.
Camphoræ an ℥j.
aspalathi ℥iij.

Pulveriſata ponantur in vaſe terreo optimè clauſo ad ignem, donec in lapidem convertantur, qui panno aliquo fricatus accenditur, ſputo autem extinguitur.

Errata Benevolus lector ſic corriget.

P. 1. l. ult. *rimetur* lege rimemur. P. 3. 14. *Vovis ſe he* leg. noviſſe. l. 17. *Acatibus* leg. Arabibus P. 5. l. 9. *quid* lege quod. l. 22. *quia* lege quæ P. 7. l. 18. *provera* leg. procera. Pag. 11. l. 9. *quam* lege quùm. P. 14. §. 2. 16. *mollibus* leg. millibus P. 21. l. 15. *pariter* leg. partes. P. 24 l. 5. *tenuitatem* leg. tenuium. P. 29. §. 3. l. 3. *fugetris* lege fulgetris. Pag. 34 l. antep. *gemina* lege genuina. P. 53. l. 14. *quæ* lege qui. Pag. 80. *diſcutientisque* leg. diſcutiendis.

FINIS.